BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO EBORENSE
32
6 C
17

Digitized by Google

COMMERCII EPISTOLARIS VFFENBACHIANI

SELECTA

VARIIS
OBSERVATIONIBVS
ILLVSTRAVIT
IO. GEORG. SCHELHORNIVS

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE



PARS QVINTA.

VLMAE ET MEMMINGAE
APVD IO. FRIED. GAVMIVM
MDCCLVI.

32-6-C-17

VIRO SVMME VENERANDO

ERVDITISSIMO

ATQVE CELEBERRIMO

IO. IAC. ZIMMERMANNO

CANONICO AC THEOLOGO

TIGVRINO

ILL. REG. BORVSS. SOCIET. SCIENT.

SODALI,

DE GRAVISSIMIS, QVIBVS FVNGITVR,

MVNERIBVS NON MINVS

QVAM DE RE LITERARVM PVBLICA

OPTIME MERITO,

EXQVISITAM DOCTRINAE COPIAM

CVM INSIGNI CANDORE,

MODESTIA

ET PRVDENTIA THEOLOGICA

FELICITER COPVLANTI,

AMICO

AMICO VETERANO,

CVI SVAVE QVONDAM

CVM B. VFFENBACHIO

INTERCESSIT

LITERARVM COMMERCIVM,

HOC, QVICQVID EST LIBELLI

PRO NVNCVPATA SIBI OLIM

EXIMIA ORATIONE

DE SCIENTIA THEOLOGICA

BEATORVM IN COELIS

COLLATA CVM NOSTRA

EXIGVI REDHOSTIMENTI LOCO

PVBLICVM SIMVL SVAE IN EVM

OBSERVANTIAE DOCVMENTVM

EXHIBITVRVS,

CVM SINCERA

PERENNANTIS FELICITATIS

APPRECATIONE

CONSECRATVM VVLT

EIVS AMANTISSIMVS

IO. GEORGIVS SCHELHORNIVS,

THEOL. D. ET ECCLES. MEMMINGENS.

SVPERINTENDENS.

INDICVLVS
CONTENTORVM PARTIS V.

Epiſtolae mutuae Io. Henr. Maii Fil. et Zach. Conr. ab Vffenbach. pag. 1
- - - - Vffenbachii et D. Io. Andr. Schmidii. 158
- - - - D. Io. Alb. Bengelii et Vffenbachii. 169
- - - - D. Io. Ge. Scherzii et Vffenbachii. 204
- - - - Vffenbachii et Io. Dav. Koeleri. 214
- - - - Vffenbachii et D. Io. Laur. a Mosheim. 228

SINGVLARES EDITORIS OBSERVATIONES.

I. De primis Hiſtoriae Martyrum ex coetu Proteſtantium Scriptoribus. pag. 65

II. Symbola ad hiſtoriam certaminis de auctore Lib. de Imitatione Chriſti collata. 111

III. Spicilegium de Mino Celſo Senenſi. 199

CLXXXV.

ZACH. CONR. AB VFFENBACH SVO
S. P. D.
JO. HENR. MAJVS.

Vtique emunctæ naris hominem te præbuiſti ultimis litteris tuis, teque animum tuum helleboro ſæpius deterſiſſe, quod de Chryſippo ajunt, demonſtraſti, dum et ſales et acumen ubivis inſperſiſti. Jam te liberatum ſpero, VFFENBACHI amiciſſime, rheumate illo, totumque factum novum, ejecto, quod

latebat, malo, ante veris initium ſummo cum fructu deponendo. Ego id unicum, lecto epiſtolæ tuæ exordio, in votis habere cœpi, ut tecum communia accendere thura, eundemque excitare fumum mihi licuerit. Herbam puto Nicotianam, illam divinam, et naturæ beneficio uſibus humanis conceſſam, qua non præſtantior ulla. At nunc illæ nebulæ diſſipatæ ſunt, et qui in ventum abiere fumi, revocari nequeunt. Vbi tamen ad te proximis nundinis venero, ſuccedere in horum locum poterunt alii. Codicem meum unicum heri ad te miſi, oblitus vero ſum, quod vehementer doleo, Heliodori Gallici. Veniam dabis, amicorum princeps, homini non ſtudio peccanti, ſed nimia tabellarii, ex improviſo ſe ſe offerentis, feſtinatione in varia diſtracto, ut animum ſcriptor Eroticus tunc non ſubierit meum, de aliis quippe oneribus, quam de amore cogitantem. Sequetur tamen ſuo tempore, neque commutandus cum Græco tuo. Abſit enim per omnem modum, ut ſpoliare ego adgrediar tuam bibliothecam, tot ſumtibus, tot laboribus comparatam, tam eleganti ratione diſpoſitam, tam tibi charam, tam mihi benignam! Injurius eſſem et contra te, et Muſas, et favorem, quem ſemper mihi exhibuiſti, ſummum. Quare etſi centies ad me Heliodorum

dorum illum tuum mittere volueris, toties*, mihi crede, tibi remitterem, ſacrilegii crimen metuens. Quin et fruſtraneam fore tuam in tabernis librariis excutiendis, inquirendoque Heliodoro, operam, prædicere voluiſſem, ſi hoc te negotio moleſto defuncturum prævidere licuiſſet. Ipſe enim ante hunc annum per amicum id fieri curavi, irrito pariter ſucceſſu. Meum, quid meum? tuum nunc codicem primo omnium loco ut ponam, imperas. Ignoſce, VFFENBACHI, ſi me iſtud nec facturum, nec facere etiam poſſe, dixero. Namque inſigne arrogantiæ ſpecimen, et flagris dignum eſſet, ſi unicum meum quondam libellum, tuis præponere omnibus, majoris etiam molis voluminibus vellem; et præterea adſignatum ei ſcias locum, quem fortuna ipſi tribuit, duodecimum ſcil. inter libros formæ quartæ. Per me amplius non ſtat, ſtatus controverſiam movere MSS. tuis et mole et præſtantia majoribus, niſi univerſum ordinem immutare vellem, quod utique permoleſtum mihi accideret. Nunc tibi nuncio, perluſtraſſe me omnes tuos MSS. codices, quos ſuperiore anno miſeras, unico tamen excepto, quem ad extremum locum ſtatim conjeci, mire quippe perverſum, et tam multa inſuper opuſcula complectentem,

ut fere quot folia, tot libri. Hunc ego, non adeo magnæ molis (eſt enim in 4to) et negligentius compactum, retinebo adhuc, reliquos ad te, quam prima occaſione fieri poteſt, prævia decente gratiarum actione, miſſurus. Itaque ubi equum Trojanum (*a*) acceperis, ut ſtatim bene onuſtum, et per eundem aurigam, ſi ratum id tibi videbitur, ad me redire jubeas, otio nunc abundantem, et intra 8. hebdomadas, vel etiam citius perlecturum, quotquot incluſeris ei volumina, id quod ſanctiſſime tibi promitto. Nolim vero obliviſcaris libri *Raſiel*, rogoque, ut TZEZÆ Chiliadas, unacum ejusdem ſcholiis ad Lycophronis Caſſandram, nec non PAREI Electa Plautina adjicias. Peterem quoque du FRESNII Gloſſarium Græcum, ſed, quia nimium ciſtæ occupaturum eſt ſpatium, Ebraicis libris deſtinandum, alio forſan tempore ſubſequi poterit, de quo tu videris. WOLFIO interea denuo ſcripſi, et, quod reſtabat librorum tuorum, indicavi. Video eum men-

(*a*) Ciſtam libris ultro citroque miſſis onuſtam vel Pegaſi, vel Equi Trojani, vel aliis etiam nominibus per jocum inſignierunt Uffenbachius et Majus, amicorum par incomparabile.

mentionem facere codd. tuorum Græcorum MSS. Cave vero, VFFENBACHI nobis conjunctiſſime, ne alii quam mihi illos evolvendos concedas. Pollicitus id es mihi, ſervabisque promiſſum, de quo nullus dubito, inprimis cum tanto me ardore in illos ferri ſcriptores ſcias, ut exſpectare illum vix queam diem, qui me, abſolutis codd. Ebraicis, adjunget hominibus Græcis. Memor etiam, credo, eris, te mihi libros collatos virorum doctorum manu conceſſurum promiſiſſe, in quo vide ne ſpem meam fallas. Interea nunc quidem, ubi remiſſurus es equum Trojanum, nullum deſidero Græcum MS. quia ſerio conſtitui, Rabbinorum onere primum me levare, atque tunc mancipare ſtudiis Græcis. Nummus Thaletis non videtur mihi eſſe genuinus, ductus enim litterarum recentiores ſunt, quam ut ad illius ætatem referri queant. Eum ſi tuo nummophylacio inſerere volueris, ſtudebo, ut compos fieri poſſim ejus, quamvis adhuc ignorem, quemnam adgnoſcat poſſeſſorem. Ceterum, quum is non ſim, qui tantas ſibi arrogare velit laudes, quantas tu mihi ſemper tribuis, et nuper demum, tui forſan meique immemor, adſcripſiſti, ab iis in poſterum erga me abſtineas, rogo. Nunc quidem propter eam rem veniam tibi do. Scio enim, te non

aſſentandi animo hæc adſperſiſſe, ſed amore lapſum, cæcutiente admodum rerum judice. Atenim ſi mihi tale poſt hunc diem faxis, faciam, ut videas atque experiaris, quam moleſtum mihi ſit, laudibus id genus indebitis onerari. Lexicorum meorum ut nectam catalogum, perſuadere mihi geſtis, eum quidem in finem, ut data occaſione commodis invigilare meis in comparandis aliquibus queas. Niſi poſteriora hæc adjeciſſes, jam per me acciperes indicem eorum; etſi vere me pudeat, tuis illum exponere oculis, quum et paupertatem meam ſis riſurus, et fidem forſitan non adhibiturus exiguo, quo inſtructus ſum, Lexicorum numero. Vltra STEPHANI Theſaurum et Gloſſaria, SCAPVLAM, et BVDÆVM (cujus tamen editionem locupletiorem a Rob. STEPHANO editam Pariſiis 1548. fol. inquiro) ex Græcis, CALEPINVM atque FABRVM ex Latinis poſſideo nullum. Ohe! quid actum? Dum indicem dare detrecto, dedi. Sed eſto; quod ſcripſi, ſcripſi. Neque tamen eo animo adpoſui, ac ſi per te Lexicographos conſequi velim; pauci enim, ſed quos non nomino, arrident, et quos mihi ipſe ſum comparaturus. Locuples Lexicon Latinum, ut indigitarem, jubes. Poſtulatum eſt, amicorum optime, impoſſibile. Tu ſi mihi locuples Lexicon

Græcum es indicaturus, deſignabo tibi Romanum. Nec tu illud præſtare poteris, nec hoc ego. Sic ambo ſumus miſeri. BORRICHIVS, quod noſti, Analectis ad cogitationes de lingua Latina ſubjecit appendicem de Lexicis latinis et Græcis, monſtravitque, Theſauro Stephanico et Foro Romano multas ineſſe lacunas. Oedipus KIRCHERI mihi eſt et ante conſultus, quum de alatis Aegyptiorum Diis aliquid ſcriberem. Nil ſupereſt, quam ut CVPERVM aliquid humani paſſum eſſe adfirmemus. H. Bibliothecæ præfectum bene novi, is quum ibi eſſem, divitisque epulonis, de quo hiſtoria evangelica loquitur, veſtem ex *byſſo* nominare vellet, plane *abyſſum* dixit. Cumulavit plures errores, ſed qui aut memoria exciderunt, aut cum illo ſoloci non veniunt comparandi. Quum permutatio Heliodori locum invenire nequeat; alium tibi offero permutandum ſcriptorem, Polybium ſcilicet. Vtor editione Græco-Latina Francofurti, vel Hanoviæ potius 1609. fol. ex verſione CASAVBONI; quæ quia uſibus meis non ſat eſt commoda, propoſitumque mihi, Polybium devorare totum, et e manibus ponere nunquam, mallem equidem aliam editionem minoris formæ in 8vo, ſed tamen pariter Latino-Græcam; notæ an ſint ad-

jectæ, nec ne, parum curo, neque etiam Latinam curarem verſionem, niſi interpretum errores animadvertendi a me eſſent. Nunc vero recordor nullam exſtare editionem Polybii in 8. præterquam Gronovianam, quæ quia meam longe ſuperat, tibique geminum ejus exemplum vix erit, volo hæc, quæ ſcripſi, accipias, tanquam ſcripta non eſſent. Videri enim poſſim, me locupletiorem reddere cogitare tuo cum damno, quale quid, Deum tuamque amicitiam teſtor, nunquam in mentem mihi venit, nec venturum eſt. L . . . . ſe ad te miſiſſe aliquot MSS. heri indicavit. Si verum eſt, velim nuncies, quænam illa ſint, et cujus valoris? De Apollonio quædam narrabat, quæ inprimis ſcire cupio. Biponti emiſit in lucem Georgius Chriſtianus IOANNIS Schediaſma de eruditis, qui per quinquaginta vel plures etiam annos officiis præfuere publicis. Siſtit ſeptem eruditorum nomina, in hiſtoria litteraria vix cognita, quam etiam non inſigniter juvarunt. Gieſſa, undecimo Kalendas Aprilis MDCCXV.

Quas ad me ſcripſit WOLFIVS Hamburgenſis litteras, quum varia nuncient ad hiſtoriam eruditam, orientalem cum maxime, ſpectantia, dignas, quæ abs te legantur, judicavi.

CLXXXVI.

CLXXXVI.

JO. HENR. MAJO FIL.

Recepto non abſque pudore unico Codice tuo, quem ſine prævia oblatione meum eſſe publice jam juſſiſti, gratias tibi, amice dilectiſſime, quas nuper habui, cum referre vix potero, iterum ago. Video, te numerum XII. inſcripſiſſe illi, moleſtumque tibi fore ais, ſi integrum mutare ordinem deberes. Sit ita. Maneat eo, quo illum detruſiſti, loco, modo alterum, quod a te petii, obſerves. Heliodorum te non addidiſſe comitem, non eſt, quod excuſes. Illum enim æque renuo, ac tu meum accipere detrectas. Erit tamen, ut ſpero, brevi Græculi hujus p[illegible]iundi occaſio, ut permutatio ſolennis fieri queat. Latuit enim hic Bibliotheca quædam Criticis atque veteribus inprimis Græcis ac Latinis auctoribus refertiſſima, quam Collectoris filius, Dn. *le Grand*, ingentibns a patre relictis nummorum theſauris plus gaudens, ſub haſta vendere conſtituit, ut SCHVDTIVS nuper aſſeveravit. Quod ſi fiet, tui haud exiſtam immemor. Aſt abſit, ut eundem, h. e. nullum, uti Erlangiana illa venditio, ſucceſſum nanciſcatur. Libros, quos deſideras, unacum novis Codd. Hebr. habebis omnes, ſi Tzetzæ Chilia-

das excipias, quibus deſtituor, cogorque quantum ſit in rebus inane cognoſcere. Non mea tamen culpa oſcitantiave factum, quod illis caream. Diu enim eſt, quod hunc cum pluribus aliis veteribus hominibus quam ſedulo inquiſiverim. Sed probe noſti, quam multi præſtantiſſimi Græci Latinique ſint ſcriptores, quorum nulla plane haberi poſſit copia. Adeo, ut Criticorum noſtri ævi negligentiam, deſidiam, atque torporem mirari ſatis nequeam, qui omnem in recoquendis absque ſale plerumque Horatii, Virgilii decemque aliorum vulgatiſſimorum ſcriptis operam ponunt, de innumeris aliis parum ſolliciti. Adeo, ut, cum Horatii plus quam trecentæ proſtent editiones, multorum præſtantiſſimorum veterum auctorum vix una alterave extet, quæ ita etiam evanuerunt, ac ſi cum aliis veterum monumentis plane perierint. Quid in cauſa ſit, facile mecum vides. Ignorantia ſcilicet, atque, quam ſupra jam notavi, ignavia, quod eos ſcriptores a paucis vel plane nullis etiamnum tactos atque illuſtratos proprio Marte nemo aggredi cupiat, alios vero, in quos plauſtra Commentatorum ſuppetunt, arripiant, exque centum commentis, ut medii ævi verbo utar, novum comminiſci, facinus putent. Ingentem incultorum talium optimorum ſcripto-

ſcriptorum texere poſſem Catalogum, qui in pauciſſimis, inſtructiſſimis etiam bibliothecis ob raritatem vix compa- rent, niſi noctuas Athenas vererer, teque in eandem mecum ſententiam ire perſuaſum eſſet. Ad iſtud igitur epiſtolæ tuæ caput tranſeo, quo novum diffiden- tiæ in me tuæ ſpecimen præbes, quam- obrem te, ſi ſtomachus jam ex rhevmate, ut infra dicam, languens atque deficiens ferret, nec jam ſæpius eam ob cauſam te redarguiſſem, graviter caſtigarem. Im- pune igitur hoc feres, modo in poſterum omni plane ſuſpicione te liberes, abſti- neasque. Ego vero fidem tibi do ſan- ctiſſime, te ſolum libros meos Græcos, tam Manuſcriptos, quam doctis erudito- rum manibus ornatos, ad unum omnes perluſtraturum, ea tamen, quam minime renues, conditione, ut illis omnibus pre- tium in meam non ſolum notitiam ſtatuas, ſed univerſæ Reipublicæ literariæ, quales inveneris, quidve boni ex illis hauriri queat, palam facias. Vellem enim, hoc non modo recenſioni tuæ Hebraicorum Codicum addatur, ſed omnium etiam MStorum meorum, quem ipſum tamen parabo, index. Vides, quam ingens onus in humeros attraxeris tuos. Injuriam tua ſuſpicione mihi illatam melius ulciſci vix potuiſſem. Hæc enim, ſi unquam fuit,

Eſt

Eſt vindicta bonum, quo non eſt dulcius ullum.

Hoc enim modo non mihi ſolum, ſed et publico ſatisfiet, egregiumque præſtabis officium, Quod ſane levius reddet onus, tuoque bene merendi ſtudioſiſſimo animo omne edulcorabit tædium, quod tantus tibi labor creare poſſet. De Thaletis nummo mihi comparando ſollicitum te nolim. Gratus equidem et hanc tuam benevolentiam agnoſco, ſed cum librorum potius quam nummorum rationem ſemper habuerim, et ad Bibliothecæ magis ornamentum, quam ad ſerium, quod temporis ratio mihi haud permitteret, ſtudium conquiſiverim, de nummophylacio locupletando vix amplius cogito. Vereor etiam, ne magnam nimis nummo pretium ſtatuatur. Quæ de Lexicis repoſuiſti, riſum mihi etiam valetudinario moverunt. Demiretur quiſpiam, tanti nominis Profeſſorem linguarum tam paucis inſtructum Lexicis, mihi vero nullam movet admirationem, qui te minime ex Doctorum vulgo, qui ultra Lexica non ſapiunt, eſſe ſciam. Tu non pluvias aquas, ut ait iile, addo ego nec lacunoſas aliorum, colligis, ſed vivo flumine exundas, et ex ipſis tibi fontibus dulciſſimis tua fluunt. Sed nil amplius addo, ne iterum in laudes tuas me excurrere voluiſſe queraris. Bonorum Lexicorum defectum inter pia

Eru-

Eruditorum deſideria referamus. Improbus illa contexendi labor, quem SCALIGER tam eleganti depinxit carmine, omnes perterret. Mihi ſane animus eſt, ex pluribus, ut aliquo modo mihi conſulam, unum conflare, hoc modo, ut copioſiora aliquot, quæ haberi poſſunt Lexica, in fruſtula ſcindantur, conglutinenturque. Sic copia aliqua colliquefiet; aſt utinam ſcoriæ ſimul auferri queant. Dum de lexicis nobis ſermo, non poſſum non, quin tibi nunciem, fratrem meum vaſtiſſimum omnium Lexicorum unacum aliis libris ex Italia mittere, CORONELLI ſcilicet Ital. quod octo jamdum maxima forma voluminibus conſtat, licet ultra literam C. nondum excurrat. Sed hoc, ut auctor loqui amat, univerſale eſt, non verborum, ſed rerum. Gronovianam Polybii editionem futuris, ut ſpero, nundinis procurare tibi potero. Fuit mihi ejus ante aliquot annos duplex exemplum, quod ſi adhuc eſſet, cum voluptate tribuerem tibi. Collega tuus non ad me miſit MSta, ſed Zieglero proxenetæ veterumque librorum ruſpatori commiſit, qui cum poſſeſſorem celans more ſuo ingens pro unoquoque volumine duodecim Imperialium pretium exigeret, ego pro utroque vix ultra quartam (quod nec Italo mercatori aut circui-

tori

tori audemus) partem obtuli, octo nimirum unciales. Poſtquam vero a Conſiliario quodam aulico Salmenſi iterum, et quidem Collegæ tui nomine, deferebantur, duos adhuc addidi, atque ſic decem Joachimicis redemi. Vellem autem apertius et ſine talibus mecum ageret ambagibus. Tibi ſane impoſuit, ſi Apollonii ſcriptum unum ex illis dixit, aut ipſe peſſime lapſus eſt. Continet enim Magica, a tenebrione quodam ſub Apollonii nomine recentiſſime confiсta, titulo: *Artis notoriæ.* Opus futile, blasphemum, ſuperſtitioſum, igni, vel quo a me damnabitur, perpetuis carceribus includendum. Alterum volumen licet minus forma, majoris tamen ponderis atque momenti eſt. Continet Speculum, quod vocant, Saxonicum, aliaque vetera Germanorum jura. Manu exaratum anno Chriſti milleſimo trecenteſimo decimo quarto a Johanne quodam Scabino in Pfaffenrode. Cum vitioſiſſima ZOBELII editione ſumma cum voluptate olim componam, inſignes quippe jam primo intuitu lectiones deprehendi. Bipontinus Profeſſor JOANNIS ſuo, de quo ſcribis, ſchediasmate me quoque donavit, plures præſtantioresque viros, modo tellus iſta tuliſſet, ſtiturus fuiſſet vir bonus. Non indoctus lautiorique fortuna dignus is eſt, ſed Saturnius in eum incumbit

oculus,

oculus. Wolfianas literas non ſine gratiarum actione recipe. Perſpexi ex illis orationem dominicam variis linguis redditam typis iterum exſcribi. Quid ſi verſione Sicula, quam nuper vidiſti, ſymbolam conferrem. Audi, quæ de Siculis iſtis nuper reperi in BAVDRANDI Lexico Geographico. Verba ipſius, cum teſte, quem adducit, deſtituar, in medium producam: *Siculi populi ſunt Tranſylvaniæ regionis, qui in patria lingua Szekhyly dicuntur, Dacice Zeckeli,* (noſtra lingua *Zeckler*) *a ſedium vel diſtrictus occupatione, quod poſt primorum Hunnorum eruptionem pulſis e Pannonia Scythis quædam ipſorum pars in extremum Tranſylvaniæ angulum confugit, quem etiam hodie tenent: unde Siculi orta eſt dictio, teſte Laurentio Topeltino Tranſylvano.* Vides igitur, unde Sicula Hunnorumque lingua illa dicatur. Vellem etiam non nudas divinæ orationis verſiones, ſed adjectas quoque doctorum virorum in illas annotationes dent. Nuperrime elegantiſſimas atque eruditiſſimas in Francicam et Theotiſcam Marquardi FREHERI translationem adeptus ſum notas, quæ ob raritatem in lucem reduci mererentur. Vt clauſula bona ſit, edocendus adhuc mihi es, Germanum meum cum reliquis libris quatuor etiam MSta transmiſſurum, inter quæ Græciæ deſcriptio Codexque Ciceronianus. Qualis vero ille, quive hic ſit, ille

ille nondum nunciavit. Obſignarem, niſi memoriam ſubiret, me ſupra memet valetudinarium dixiſſe, nullus dubito, te, qualis ſit valetudo illa, noſſe velle. Rhevma, de quo nuper, ſummum corporis faſtigium reſpuens ex capite dimanans totum occupavit corpus, inque febrem catharralem ſe reſolvit, miſereque integra elapſa ſeptimana me vexavit. Alius meticuloſior delicatusque in lectulum, mortis fatalem ictum metuens, ſe abſcondidiſſet. Ipſe etiam me in illum, ſine metu tamen, qui nec Philoſophum nec Chriſtianum decet, recepiſſem, ſi medicus eheu! quondam meus Dn. Thilenius vir optimus paucis abhinc diebus non fuiſſet emortuus. Standum igitur putavi oportere. Dei etiam gratia infenſiſſimum illum hoſtem, ingratiſſimumque hoſpitem proprio, ut ajunt, fugavi Marte, atque reſpirare ac reconvaleſcere incipio. Utinam firma in poſterum Tecum, o altera pars mei! mihi ſit valetudo. Cura igitur, obſecro, ut valeas. Scribebam d. 30. Martii 1715.

CLXXXVII.

AMICORVM PRINCIPI ZACH. CONR. AB VFFENBACH S. P. D. J. H. MAJVS.

Si nunc vales, bene eſt. Male me habuit, quod te valetudinarium eſſe intellexerim, quod in ſalutis periculo verſantem viderim, quod Medico deſtitutum audiverim, mihique adeo ipſi non vulgare imminere diſcrimen, ſenſerim. Si vero teipſum interea dolore liberaſti meque, animam ſimul reddidiſti mihi. Placuerunt per omnia litteræ tuæ; hoc unum diſplicebat, quod ægrotus non nihil eas exaraveris, et quidem tam prolixas. Mallem enim virium rationem habuiſſes tuarum, amiciſſime VFFENBACHI; neque roboris ingeniique præſtantiam in unicam effudiſſes epiſtolam, cum defectu, quem metuo, ſanitatis tuæ. Avertat omnem abs tuo amico pectore morbum Deus! quod ſi tamen poſthac iterum fortuna ejusmodi adverſa, quam tui cauſa abominor! ſuſtinenda eſſet, ut aut plane nil ad me ſcribas, aut nonniſi ſtatum tuum tribus, vel ad ſummum quatuor verſibus enarres, vehementer peto. Codicem Ebraicum, Struppio-

Helvico - Menzero - Majo - Vffenbachianum, (proh! quantum titulum) ad te veniſſe, mox et equum inſecutum Trojanum, gaudeo. Spero et, quod Heliodorus. Rediit interea equus ille noſter, atque in muſei ſecretiorem divinioremque partem admiſſus, quod ſecum tulerat, expoſuit, codices nimirum MSS. Ebr. quamplurimos, Lycophrona item et Pareum, quos ad tempus petieram, nec non alios, nec petitos, nec ſperatos, cum quibus quid mihi agendum ſit, exſpecto jubeas. Facile mentem tuam conjicio; at cave, ne ſub meam cenſuram venias. Noſti enim Criticorum ingenium; in magnis parvi ſunt, in parvis magni. Ego ſi te a verbis pactisque tuis vel verbo receſſiſſe animadvertero; magnam inſtituturus adverſus te ſum orationem. Eſſes enim reprehendendus eo nomine,quod mei te memorem futurum in auctione le Grandiana ſcribis. At ne nimium tibi eveniam gravis, te tuo frui arbitrio permittam. Catalogum nihilominus librorum, quos poſſideo, Græcorum confecturus, ac propediem ad te miſſurus ſum. Forte et reliquorum, ut tuæ pariter meæque notitiæ inſerviat. Bonos auctores, Græcos et Latinos, deſiderari multos, mea dudum fuit querela, quam abs te, etſi doloris mei ignaro, comprobatam

batam impenſe gaudeo. Epicteti Enchiridion, Iſocrates et ſimiles ubivis proſtant venales, Tzezes et obſcuriores tenebricoſioresque nullibi reperiuntur. Solum me felicem adeo fore, ut MSS. tua Græca, librosque, docta eruditorum manu exornatos, evolvere queam, Evangelium fuit, quo non lætius ullum. Lubens me ſubmitto adjectæ conditioni, quam, te etiam non imperante, impleturus tamen fuiſſem. Dum Lexicorum meorum penuriam rides, facis, quod diu prævideram. Neque etiam alii, quam tibi, o altera pars mei, hos theſauros ſignificaviſſem. Scias vero velim, me, dum Græca nominavi Lexica, intellexiſſe tantum Græco-Latina, non autem antiqua illa mere Græca, quæ mihi ſunt, ſi Heſychium excepero, omnia. Orientalium quoque LL. Lexica non numeravi: Sed quorum numerum etiam puerulus inire bimulus poſſet. Collegæ mei facinus minime probo, putaveramque eum erectioris eſſe frontis hominem; at nunc manifeſto prodit, avaritiam ipſum obſediſſe totum. Nihil ego unquam ipſi de vendendis, ſed permutandis tantum tecum libris dixi, nihil aliud volebant epiſtolæ tuæ, ipſi lectæ. Quare et te et me inſigniter fefellit. Ipſe etiam egregie deceptus eſt cum Apollonio ſuo, mihi nun-

quam viſo; petieram equidem, ut eum mihi, vel ad unius horæ ſpatium, concederet evolvendum; at repulſam tuli, voluitque magnus numerorum ille artifex, ut ipſe accederem ad ſe propius, ſeque præſente contrectarem magnæ famæ virum, Apollonium. Poſtulatum id mihi videbatur eſſe parum civile, repugnans etiam axiomati meo, quamvis fundamentis Mathematicis haud nixo, quo decreveram, domi me continere per hanc hiemem, neque in publicum procedere, niſi officii urgeret ratio, id quod etiam ſancte præſtiti. Noveram etiam viri, alias ſat humani, et mei ſtudioſi, indolem; noveram inſuper hunc non eſſe Apollonium, quem pro Apollonio venditabat, etſi nunquam ſcriptum iſtud inſpexerim. Itaque nunc juvat manſiſſe domi. Maximo me adfeciſti, cariſſime virorum, beneficio, dum ex BAVDRANDI Lexico, Siculi illi quinam ſint, me docuiſti. Plane is locus ad rem eſt, et omnes ſolvit nodos. Conſilium tuum de oratione Dominica, Siculorum lingua conſcripta, collectioni, orationem dictam variis linguis exhibenti, inſerenda, mihi quidem laude quam maxime dignum videtur, ad uſumque rerum Philologicarum ſpectans, quas uti ſemper juvas, ita nunc etiam ornare poteris. Mitto tibi eandem orationem, lingua

lingua Melitenſi conſignatam, neque in priore collectione comparentem, quam ſi transmittere unacum Sicula tua volueris, rem mihi faceres litteriſque noſtris gratiſſimam. Adjeciſſem quasdam adnotationes in eandem, niſi conſtitutum mihi eſſet, alibi ex induſtria etMelitenſium linguam,et hanc etiam orationem illuſtrare. Græciæ deſcriptio a Germano tuo, cui fauſtiſſimum apprecor iter, in Italia comparata, forſan erit aut Pauſaniæ, ſi majoris molis volumen eſt, aut ſi minoris, Dicæarchi. Dies docebit. Cujuscunque illa fuerit, non aliter quam læta eſſe poterit utrique noſtrum, tibi poſſeſſori, mihi lectori et cenſori. Gotfridi Langii hiſtoriæ exemplar ab amanuenſi tuo deſcriptum, tuisque adnotatis elegantiſſimis auctius ornatiusque redditum, tui erga me favoris, tuæque in me juvando induſtriæ monumentum manebit. Nunc quid de illa Langii hiſtoriola cenſeas, ſcire aveo, meum habebis judicium qualecunque, ubi prius audiero tuum. Mihi nunc in animo eſt illius Profeſſoris apud Vitembergenſes effatum. Tu vis me capere, ego non reſpondeo. Ex Latinis Lexicis, quæ mihi ſunt, omiſi Jo. FVNGERI Etymologicum, Frf. 1605. 8. editum, neque contemnendum opus, nominare. Ejus, quia geminum eſt exemplum, unum

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

tibi dabo, ſi habueris nullum; quod vix ſperare licet. Nuper etiam in librorum quorundam veterum, quos ſimul retinere omnes debebam, emtione nactus ſum VULTEI commentarium ad titulos Codicis de Juridictione, et diſceptationum Juris Scholaſticarum librum unum.

Visne illos? habebis. Sequente hebdomade ad te, amice jucundiſſime, Muſasque tuas inviſendas venturus eſt M. Froereiſen, genus ex celeberrimis Theologis Argentoratenſibus ducens, ipſe vir probus litterarumque amore flagrans, quem eo libentius recepturus es, quo vehementius te venerari deſiderat, quum tam multa de te, tuaque bibliotheca indies (nam conſalinus noſter fuit) a me audiverit. Mentionem feci paulo ante unius collegæ meorum, nunc et de altero D. ſcil. W. pauca in tui gratiam monebo. Et ipſe forſan nundinarum tempore ad vos excurret. Hic niger eſt, hunc tu - - Plane Gallus, animo ſeu moribus. Amicitiam meam tanto adparatu ambiit, ut vix dici poſſit, at parum ſe præſtitit amicum, ut reipſa expertus ſum; de quo coram. Nullus itaque ex amicorum, quos te heic habere putas, numero eſt, qui amici titulum mereatur, præterquam ſolus LANGIVS, vir vel inimicorum teſtimonio optimus.

mus. Totum me nunc tenent MSS. tui Codices, non illi quidem novitii, ſed ultimus ex antiquis, quem retinuiſſe me nuper memoravi. Iam ſex in illo perlegi ſcripta diverſa, nec tamen fini proximus ſum; ſuperant quippe ferme totidem. Servabo nihilominus, quoad fieri poterit, promiſſum meum, remittamque ante Pentecoſtales feſtos dies volumina tam ſcripta manu, quam impreſſa. Ceterum gratias tibi exſolvo, quod non modo priores illos et jam excuſſos concedere mihi volueris libros, ſed et novis eorum ſupplere vices, tuæque erga me benevolentiæ adhuc duraturæ ſpecimina recentia, illuſtria, et tam mihi, quam publicæ rei litterariæ olim profutura, exſtare juſſeris. Habebis me eo nomine tibi tuisque ad finem uſque vitæ obſtrictiſſimum. Gieſſæ Nonis April. MDCXV.

CLXXXVIII.

JO. HENR. MAJO FIL.

Ultimæ tuæ cum non niſi amorem, ut omnes quidem ſolent, ſpirent, facile tibi condono, quod prolixitatem poſtremarum

mearum redargueris, moleſtumque ſcri-bendi accidiſſe officium exiſtimaveris, quod tamen ſumma cum voluptate obiviſſe diſertis verbis aſſeveraveram. Ignoras ſane, amice dilectiſſime, mei in te amoris vires. Animum non ſolum afficit, ſed ipſum etiam corpus. Tantum igitur abeſt, ut ſuave Tecum colloquium grave noxiumque eſſe potuerit, ut potius fractos animi corporisque ſpiritus reddiderit, mirante etiam conjuge mea, non ſine aliqua Zelotypiæ ſpecie. Equum Trojanum, aut ſi mavis Bileamiticum, male et bene Judæorum dicta hactenus ferens jumentum, revolaſſe ad te lætor. Ego vero miratus ſum, ſuperbum nimis ad me acceſſiſſe, tuis videlicet ſumtibus, ac inſuper calceatum. Novas innuo ſnbſcudes. Cur tales præſtas ſumtus? Abſtineas, quæſo, ab iſtis in poſterum. Satis eſt, tantam te temporis in codices meos jacturam facere, nolim etiam pecuniæ a te fieri. Quid de libellis nuper adjectis agendum tibi ſit, quæris? Idem, quod cum Heliodoro tuo a me fiet. Mihi ſane redhibitoria in te actio competeret, tibi vero in me nulla. Ego enim non niſi exiguos fortuito mihi oblatos libellos, quod integrum mihi fore ſemper defendi, conceſſi, tu vero contra voluntatem meam obtrudis librum elegantiſſimum. Vide, quis gravius pec-

cave-

verit? Compenſationi tamen locum bo. Mutua benevolentia culpam, ſi ia eſt, amice, obliterabimus. Unum c illis libellis Gallicum COLO- IIES *Bibliotheque* inſcriptum collegæ io, atro licet carbone notato, W. ieo nomine donabis, ut ſcilicet alte- um illius exemplum ſigno meo mu- iitum, quod mutuo ipſi dedi, recipias. Præteritis jam nundinis illum accepit, nec dum reſtituit. Multis ſane hoc ſo- lenne eſſe, non ſine tædio experior. Al- ter collega tuus, Archimedis filius, epiſto- las ſuas per conſiliarium, cujus nuper mentionem feci, iterum promiſit, atque obtulit, ſimulque librum quendam a me petiit, quem dare non potui, cum ipſo caream. Scribendum igitur ad eum ho- die putavi, ne moroſum me plane exi- ſtimet, promiſſaque cimelia fortiſan de- neget. Ridere ſatis nequeo, quod tam faſcinatus fuerit inſcitia, ut Magum illum celeberrimum Apollonium intra cancellos ſuos tenere ſe putaverit, teque ad circu- los ejus accedere tantis ambagibus juſſe- rit. Optime igitur feciſti, quod tuos ejus cauſa non turbaveris. Aſt o felicem te, cui ſui juris vivere, tamque bene la- tere hac hyeme datum ſit. Utinam ea- dem tranquillitate et mihi frui liceret! Nil ſane mihi moleſtius, quam quo maxima

 homi-

hominum pars impenſe delectatur. Turbæ nempe hominum intereſſe, jocari, abſentes calumniari, conviciis proſcindere, chartis ludere, comeſſari. Hæc omnia inquam oblectamenta, imo plurimorum hominum, quamdiu in rebus humanis ſunt, unica occupatio, ſordent mihi, nulla ſocietate vere gaudeo, niſi mortuorum et abſentium, ubi nullæ fraudes, inſidiæ, rixæ metuendæ, ubi tempus non amittitur, nec hora male collocatur, ubi nulla ſimulatione, nec diſſimulatione, nullis blandimentis opus eſt. O terque quaterque beatum te, cui cum ſolis Muſis eorumque cultribus commercium eſſe poteſt, ſpretis reliquis temporis furibus! Aſt ego, cui uxor eſt, licet ex animi ſententia, quod Muſas meas non ſpernat, earumque conſortio frui placida ſinat, rariſſime turbet, ſuavemque mecum ſolitudinem amet, Ego tamen, inquam, evitare nequeo, quin plurimi dies incommodis talibus frequentationibus perdantur, atque oſcitando a me tranſigantur. Hoc tu in Muſarum ſedibus vivens, earumque myſtam ſacratiſſimum agens, jure tuo detrectas, ego vero heic loci absque ruſticitatis, auſteritatis, pertinaciæ capitis maximæ, imo ſtoliditatis nota effugere nequeo. Sed ferendi patienter ſeculi mores, ſerviendumque quandoque ſcenæ. Transmiſſam benevole

'ole in Melitenſem linguam orationis
ninicæ verſionem una cum altera,
OLFIO, quamprimum ei ſcribendum
:, ejus cum reſponſorias expectem,
ısmittam. Nullus dubito, ipſi non
ım ac editori, ſed univerſo etiam orbi
rario inſigne præſtitum iri officium;
jus tamen, ſi tu, amice dilectiſſime,
ꞩ ornatam annotationibus olim datu-
atque explicaturus es. Aliud adhuc
, quod publici cauſa te rogo, ut ſci-
:t illius, quem nuper mihi dediſti,
nmi explicationis amico concedendæ
:ntiam tribuas. Scripſit ad me HEV-
ANNVS, Seminarii quod vocant Theo-
ici Iſenacenſis Inſpector, petiitque, ut
hiſtoriam, quam parat, philoſophicam
petias ferrem. Ex transmiſſo ſpecimi-
non indignum judicavi litterario auxi-
. Transmiſi igitur ipſi Jordani BRVNI,
iloſophi Itali, a BARONIO atheiſmi
nnati atque combuſti (*b*), ſcripta, quæ
flagi-

Juvat hac occaſione de infelice Jor-
dano BRVNO locum, aliis hactenus
non memoratum, Gaſp. SCIOPPII,
qui illius ſupplicio ipſe præſens adſtitit,
ex ejus Eccleſiaſtico, auctoritati Seren.
Jacobi magnæ Britaniæ Regis oppoſito,
libro

ſlagitaverat. Addidiſſem de nummo Thaleris divinationem, niſi veniam a te impetrandam antea merito exiſtimaverim, intellexerimque, an forſan data occaſione ipſius in medium producere eam malis. De Græciæ deſcriptione, quam a Germano indies expecto, utinam conjectura tua meaque expectatio non fruſtretur. Vereor enim, ne ſit recentiſſima, Graio ſermone minime exarata. De Langiana Excidii Conſtantinopolitani narratione judicium merito ſuſpendi meum, cum de autore nullum indagare potuerim veſtigium. Genuinam

libro atroci atque hodie longe rariſſimo, p. 264. recitare. *Pertinaciæ ex odio profectæ memorabile exemplum ante hos decem annos* (edidit autem hunc librum SCIOPPIVS Hartbergæ, uti titulus fert, A. 1611. in 4.) *in Iordano Bruno Nolano Romæ videre me contigit. Is enim potius, quam portenta et monſtra, quæ ab Epicuræis antiquis aliisque id genus Philoſophaſtris et hæreticis didicerat, ac libris nonnullis palam propugnarat, in primis autem execrabiles in Chriſtum et Apoſtolos contumelias ac blaſphemias recantaret, ſeque, quod eos præſtigiatores et magiæ artifices dixiſſet, pœnitentiæ duci fateretur, infelicibus ſarmentis circumſeptus luculento igne vivus uſtulari maluit.*

nam tamen vix crediderim, variis de
ſis, quas hic enarrare nimis longum
et. Tuam vero de illa ſententiam avidus
ecto. Fungeri Lexicon et VUL-
JI Diſcept. Jurid. librum jamjam poſſi-
), hujus vero ad Cod. de Jurisdictione
mmentario deſtituor. Nolim vero, ut
o mihi, qui jam in ære tuo ſum, illum
icedas. M. Froereiſen, qui nondum
nparuit, erit mihi ſane acceptiſſimus,
n ob familiæ, qua oriundus eſt, ſplen-
rem, tum vero, quod in tua eſſe me-
erit, tuoque præmunitus calculo acceſ-
us ſit. Antequam finiam, rogandus
amici

---

*luit. Uſque adeo eſt vindicta bonum vita ju-
cundius ipſa, ac velut ait Mimi ſenarius:
Inimicum ulciſci vitam eſt accipere alte-
ram. Cum enim ingens ejus eſſet erga Cardi-
nales Inquiſitores odium, ſive illud ex intolera-
bili nonnullorum ſubagreſtium auſteritate atque
importunitate, ſive quod in homine elati ani-
mi et cedere neſcio eſt vero ſimilius, ex propria
contumacia et parendi impatientia conceptum,
ne rem eis gratam faceret, neu victus ſuccum-
bere videretur, metuit, ſi ſententiam mutaſſet.
Sed ſi vitam potius poſuiſſet, quodammodo vi-
ctor, aut ſaltem par, diſcedere ſibi videbatur.
Nam victor, nemo eſt, niſi victu fatetur, ut
ait Ennius.*

amici Dn. Geiſſii, verbi divini apud nos præconis, nomine es, ut nova, ſi quæ habes, literaria nunciare velis. Is enim, ut ex adjecto ſpecimine vides, novellas literarias ſingulis edere ſeptimanis conſtituit. Menſtruos tales partus videmus quam plurimos ab eruditis avide exceptos, num vero hic etiam labor gratus futurus ſit, dies docebit. Vereor autem, ne cito ob rerum inopiam, nam ingens literarum commercium magnique ſumtus requiruntur, ceſſaturus ſit. d. 13. April. 1715.

CLXXXIX.

AMICO EX PAVCIS OPTIMO

ZACH. CONR. AB VFFENBACH

S. P. D.

JO. HENR. MAJVS. F.

Neſcio an tui felicitatem ingenii, aut mei potius ſtupiditatem, ſenſusque omnis expertem animum demirer, qui, quum equo me

: inſediſſe Trojano exiſtimaverim, te
imum indicium faciente, mulionem me
e intellexerim. Nova hæc eſt meta-
orphoſis, operibus Antonini Liberalis
que Ovidii poſthac inſerenda; eſt et
τενσωματώσεως recentiſſimum exemplum
eami anima in ciſtam devoluta. Tan-
m vero abeſt, ut te injuria adfeciſſe
uum noſtrum exiſtimem, ut tibi po-
is hujus inventi gloriam invideam.
lim Apuleji, et hac adhuc hieme Lu-
ini Aſinum, utrumque non ſine volu-
atis quodam ſenſu, tractavi; nunc ter-
im addo, Aſinum Ebraicum, ſuavius
uſica Attica rudentem, cujus modula-
ones autMuhammedem delectarent(hunc
im voce iſtius animalis captum fuiſſe,
Alcorani quodam loco didicimus) aut
ahlium Metaphyſicum, quem majores
oſtri ad Aſini ruditum ſubſiſtentem in pla-
is viderunt. Mihi vero non modo can-
lenas iſtius naturæ dedecoris (quomodo
ſinum vocat Phædrus) audire neceſſe
t, ſed et idem cum illo ſubire cubile;
unc enim locum pro carcere a me ad-
gnatum habet. Mirumne igitur eſt, mi-
ſſimum animal, et mihi domeſticum,
phippio, ſive malis, epitogio a me in-
ructum eſſe, ipſa neceſſitate id requi-
ente, ne Jovis pluvii injurias ſentiret
imentum meum? Heliodorum Gallicum
Aſino

Aſino noſtro tardiorem eſſe, tuæ docent litteræ. Dederam illum Zangio, Theologiæ Studioſo, jam per duas hebdomadas apud vos degenti, cauſſamque exputare nequeo, cur tam ſero te inviſere decreverit, aut non prius, quam ad te, VFFENBACHI jucundiſſime, accederet, anteambulonem iſtum ad te ire jubeat. Græci et Latini idiomatis libros, ab Aſino noſtro nuper ſimul advectos, ad me pertinere ais, munere tuo. Neque hiſcendum omnino imperas. Fiat voluntas tua. Grates non exſolvam verbis, ſed animo; quin et aſinarium me ſcias, hominem agreſtem, referendæque gratiæ minime aptum. Quos nuper collegæ mei, L... nomine accepiſti libros, Pſeudo-Apollonium (riſum teneas amice!) Speculumque Saxonicum, ſuos fuiſſe negat, ſed tantum ſibi vendendi cauſſa traditos, pretiumque illud enorme a Zieglero ſolo ſtatutum, ſe plane inſcio. De Thaletis Mileſii nummo, ejusdemque explicatione qualicunque per me data ſtatuas licet, quidquid volueris, amicorum optime. Non ſum adeo invidus ut, quæ privatim vel in mei duntaxat, vel unius alteriusve amicorum congeſſi uſum, publicæ utilitati, ſi quidem ea has nugas exigat, denegare velim. Quamvis inſuper fieri poſſit, ut, data olim occaſione ejusdem nummi, conjectatio mea per me ipſum prodi-

oditura ſit, adjecturus tamen ſimul
nc ero ectypum, deſcriptionem interea
linquens libens merito omnibus, qui
m deſideraverint, hac tamen conditio-
, ut meam eſſe illam divinationem di-
te (ſine ullis elogiis) memoretur, ne ſi
rte, ut dixi, ad ejusdem numi uberio-
m illuſtrationem me accinxero, pla-
um a me commiſſum fuiſſe malevoli
lumnientur. Quum Siculos non ita
idem homines mihi indicaveris, ego
ciſſim, quid interea de illis offenderim,
ɔi ſignificandum cenſeo. Paucis abhinc
ebus Ant. BONFINII res Ungaricas,
iſil. apud Oporinum an. 1568. editas,
ni, quibus uti multa inſerta adjectaque
nt alia, et Nicolai OLAHI Attila hic
ſitur, cujus caput XVIII. in Siculis no-
ris deſcribendis occupatum inveni. For-
reliqui ſcriptores Ungarici non pauca
ıbebunt, quorum ego nullum poſſideo.
ultejum, ſimulac fieri poterit, ad te
legabo. Langiana de excidio CPol. nar-
tio non hiſtoria mihi videtur, ſed con-
o eaque ſpuria. In quo quia te con-
ntientem habeo, pluribus verbis opus
ɔn eſt. Quid MSS. tui codices Ebraici
ant, ſcire procul dubio deſideras. Con-
cravi me ab initio totum illorum lectio-
, jamque aliquos ad calcem uſque ab-
lveram, quum ex improviſo Hockerus

ſe denuo impreſſurum priorem obſervationum mearum librum nunciaſſet, ſimulque auctiorem eum per me fieri rogaviſſet; hæc ante octiduum contigerunt. Seponendi igitur fuerunt doctores Judaici tantiſper, dum et emendaſſem et auxiſſem laborem meum, in quo adhuc deſudo. Unde non mea culpa factum putabis, ſi aliquanto ſerius rediturus ad te eſt Bileamus cum Carpophororum comitatu, quam ſignificaveram. Geiſſii veſtratis operam vix opella mea juvare potero. Neque enim in Africa vivo, monſtrorum rerumque novorum feraciſſima, ſed in ſterili et montana Haſſia. Præterea magnum litterarum commercium ſemper declinavi, tanquam certiſſimum ſtudiorum impedimentum, eoque nomine multa delevi hominum epiſtolis me ſalutantium nomina, quæ præter humanitatis verba nihil narrabant ulterius; ſtudeoque indies, reſecare alios plures inutiles temporis fures, et cum tui tantum ſimilibus me oblectare. Si quid tamen novi ex orbe eruditorum audivero, tibi illud, VFFENBACHI amiciſſime, ſignificabo, quod adhuc feci, conſtantiſſime, tuoque ex arbitrio pluribus, quibuscunque volueris, ejus notitia impertietur. Inſtitutum GEISSII uti ſua non caret laude, ita vellem non tam ego, quam omnes,

qui

ii heic loci ſpecimina bina inſpexerunt, : ſolida magis, magisque etiam nova ·oferret. De *Monſieur Cambray*, uti vo- ıt, multa habet, jam omnibus nota; CHVDTII hiſtoria Judaica inter novos mplius libros non numeratur; ceterum perum nonniſi tituli appoſiti ſunt, et ne ıi quidem integri; nec pauca ex relatio- ıibus publicis ſumta, quale eſt illud, quod le proxima adſperſit eclipſi ſolari. Vi- eſcunt jam ſenſim ejusmodi hebdoma- dales vel menſtruæ narrationes, paritque earum multitudo contemtum, ſic, ut niſi exſurgat novus Propheta, veris et ido- neis rerum ponderibus armatus, nec fidem ſit inventurus nec adplauſum. Veſter ille ad quem ordinem pertineat, non definio. Satis mihi eſt, ex ungue cogno- viſſe leonem. Tandem riſum adjicere de- beo paſchalem. Nobiliſſimam tuam con- jugem Zelotypiæ quadam ſpecie contra me pauperculum exarſiſſe, narras. Me- tuo fulmina, et minantis verbera virgæ; metuo Catonianam frontem, metuo Xan- tippes cultrum, et impluvium ſtercoreum, quo bonus perfundebatur Socrates. Heu mihi! Ecquis tua, amicorum optime ma- xime, limina ſalutet? Nunquam adduci potero, ut illud præſtem, niſi remota ſevera illa morum magiſtra. Qui Ka- lendaria conficiunt, regulam habent ſe-

quentem: Quando Marcus Chriſtum cruci adfiget, finis tunc erit mundi; hoc eſt, quando Marci dies incidit in eum, quo Salvator noſter in crucem actus eſt, (qui eſt ille ipſe dies, quo hæc ſcribo) tunc delendum eſſe orbem. Non ego orbis ſum totus, ſed tamen in orbe vivo; me crucis candidatum faciet coſta tua, eoque coercebit modo, quo Salmaſianam ferunt conjugem aliquem ſervorum ſuorum. At ego Cupidinem Auſonianum agere nolo, neque mihi etiam nomen Marcus eſt. Finem facio verbis Bileami: Etiamſi mihi dederis domum tuam auro argentove plenam, non tamen potero ad te tranſire. Vale interea, amice ſuaviſſime, et me ama. Scribebam raptim Gieſſæ XIII. Kalendas Majas cIↃIↃccxv.

XC.

JO. HENR. MAJO FIL.

Vati ſuo.

Cur ita te compellem facit non ſolum, quod in enodandis codicibus meis oraculum te mihi hactenus præſtiteris, ſed ut jocis

is etiam, quibus in ultimis tuis luxu-
:i mihi viſus es, reſpondeam. Abſit
m, ut biformis animalis mentione eam,
ım ipſe tibi inuris, injuriam facere vo-
rim. Cur enim fraudi vel ignominiæ
i ſit vector ille meus? Accedit ad te,
incluſi a te debellentur, nomenque
:re coacti in meam poteſtatem redeant
nmiſſiores. Sed cum fictum a me ani-
l familiarius tractas, nolim te agita-
'em illius, ſed ſtrenuum inſeſſorem age-
Noſti, multis ab initio mundi ſecu-
mulos equis prælatos, atque etiamnum
Hiſpania frequentiſſimum minimeque
ominioſum illorum uſum eſſe. Cardi-
ium, quos Romana veneratur eccleſia,
ietatem ſpernis? Bileamum vatem po-
s, aſt quantæ auctoritatis virum! ad-
ıgam tibi ſocium, iterum atque iterum
rogans, ut, quemadmodum ille Iſrae-
s, tu meis Ebræis pro ea, qua in illos
unguiculis latum te ſcio, propenſione
ıque in me benivolentia benedicere,
;que pro merito notare pergas. In-
:parem malum iſtum, qui remoram in-
t, angelum, Hockerum, facie fictis a
toribus angelis haud diſſimilem, niſi
xima famæ tuæ reverentia publicaque
litas vetaret, atque aliud ſuaderet.
ɔi igitur de nova potius aurearum ob-
vationum tuarum editione, quam me-

 dita-

ditaris, in anteceſſum gratulor, fauſtiſſimumque laboris ſucceſſum animitus apprecor, leviſſimam facillime moram laturus. Heliodorus eo ipſo die, quo poſtremæ meæ ad te deferebantur, a Dn. Zangio optime atque ita ſat cito redditus fuit. Elegantiſſimæ libri figuræ voluptatem, ſimul tamen ruborem fecerunt, cum, quomodo reſtituere tibi poſſim autorem hunc nativo habitu ſuo, quo tu caperis, diſpicere nequeam. Lætor tamen, Wetſtenium Punicum illud periculum tandem attuliſſe, ut iſthoc interim promiſſo exſolvere me queam De Mileſii illius Philoſophi nummo, uti juiſſiſti, faciam. De novellis noſtris literariis idem plane tecum ſentio. Laudandam tamen, vires licet deſint, optimi viri voluntatem, amicisque commendandam cenſui. Celeb. FABRICIVS ſeptimum bibliothecæ ſuæ Græcæ tomum unacum literis per Liebezeitium typographum ſuum transmiſit. Idem typis ſuis exſcripſit M. Georgii RAPHELII, Eccleſiæ Luneburgenſis Paſtoris, annotationes Philologicas in novum Teſtamentum ex Polybio et Arriano collectas. Similes ex Xenophonte ante ſex annos dediſſe autor iſte monet, quas ego tamen nondum vidi, Tibi vero haud ignotas exiſtimo, ideoque judicium de illis tuum exigo. Feraces novorum

m librorum nobis auguror nundinas e
alliæ etiam oris. Non ſcribo hæc, ut
l illarum frequentationem alliciam, ſed
ım dubiam facere mihi videaris præſen-
ıam tuam, quam tamen certiſſimam mi-
pollicitus eram, en ſumo Lycurgi
ciem, teque contumaciſſimum inſignisque
ertinaciæ hominem peremtorie cito,
ıc comminatione pœnaque addita, ni te
roximis ſiſtas diebus, te a me nullas re-
epturum literas, magnoque non auri,
d amoris mei puriſſimi ponderis jactu-
ım facturum edico. Purgabis vero te
oram tum Muſis, tum Coſtæ meæ; illis
b earum contemtum, huic ob nefandas
riminationes malasque ſuſpiciones. Niſi
onjux mea in nuper dicta HEUMAN-
iI hiſtoria Philoſophica elegantem Xan-
ıippes apologiam ante legiſſet, non auſus
ıiſſem exponere ipſi jocularia tua, licet
enties pro more ſuo interrogaviſſet: Ec-
uid MAJUS tuus hac vice perſcribit?
aptasne ſolitam voluptatem? ſubrides,
xpone, quæ ſcribat. Literæ ejus ex
Catone Democritum te facere, et quod
go ſæpe omnibus adhibitis noſtris arti-
us præſens nequeo, ſerium atque lan-
uentem abſens per literarum colloquium
ecreare poteſt. Hæc ejus Zelotypia, quæ
ı te haud damnanda, nec tam acri ſale
erfricanda fuiſſet. Quid ſi putaret, meo

in ſe amori quidquam decedere? Angitur enim, cum te, ut ait Rex Propheta de Jonathane ſuo, ita jucundum mihi videat, ut pluris apud me tuus videatur, quam muliebris amor. Num ideo culpanda foret? Cæterum cum eadem voluntas idemque animus conjugibus eſſe debeat, nobisque etiam, o me felicem! quantummodo fragilitas humana patitur, vere ſit, perſuaſiſſimum tibi habeas, illam te mei cauſa adamare, venerari, lætiſſimamque te ſemper recepturam. Veni, veni igitur, anteverte, mi MAJE, menſem tibi cognominem. Blandus ille atque hilaris mortalibus eſſe ſolet:

Vario depingens gramine terram.

Aſt tua præſentia majorem voluptatem nobis allatura. Noli igitur tergiverſari amplius, nec jocularia etiam fundere, ſed cito advola, ut præſentes ludos faciamus. Illico igitur para profectionem, triſte tardumque animal, de quo initio, ſinas quieſcere, non velut vatem te jam volo, ſed familiarem atque amicum. Ad literarium otium te invito, ubi minime otioſi erimus. Omne feremus punctum, miſcebimus utile dulci. Ne tardes igitur, obſecro, felixque iter tibi apprecor. Vale ſcrib. d. April. 1715.

CXCI.

JO. HENR. MAJO FIL.

Vide, quam ſim bonus ac facilis! con-
ımacem te præbes, ſtatutum tibi termi-
um indictasque pœnas neglexiſti, in te
ımen animadvertere nequeo. Tantus
nim mihi erga te amor eſt, ut gravio-
em mihi vindictam, quam tibi, fore ſen-
iam. Statum igitur ſcribendi tempus
labi non patiar, nec ſuccenſere potero.
ndulgendum tibi eſſe video, acta velut
uerperam tractandum, usque dum lectiſ-
mos ingenii fœtus excluſeris. Promtio-
es vero dexterioresque manus optarem
ibi obſtetrices, qui felices conatus tuos
ondigne ſtrenueque adjuvent. Aſt novi
ardum, atque moroſum Bibliopolarum
;enus, maleque me habet, quod exopta-
iſſimam jucundiſſimamque præſentiam
uam remoretur, quam tamen, ſuperatis,
|uas tibi inertes illi creant, moleſtiis atque
'emoris, non denegabis. Te vero, dile-
ctiſſime amice, amplius non urgebo, ipſe
i, quod nullus dubito, me amas, in mu-
:uos properabis amplexus. Ebraicos Co-
lices meos, qui jam penes te ſunt, fer-
ne omnes te excuſſiſſe lætus gratusque
ıgnoſco. Reliquos omnes veterinum

animal noſtrum una capere, atque ad te devehere poterit. Plures enim XIV. non reſtant, niſi unus alterve interim accedat, quemadmodum hac etiam ſeptimana aliquod in adjecta ſcheda notatum iterum obvenit volumen. Nullos pene indagare amplius ſe poſſe codices aſſerunt, qui cæteros mihi detulerunt, devota lucello mancipia, cum ingens eorum copia horrendo perierit annis aliquot elapſis incendio. Quam maxime igitur doleo, quod ante ruinam illam non majori ſtudio conquiri fecerim. Quod utique egiſſem, ſi tu prius innotuiſſes, vel alium quendam vatem noviſſem, cui enodanda atque excutienda, quæ mihi Sibyllinorum inſtar erant, folia dare potuiſſem. Quam egregia ab interitu ſervaſſem, quæ jam igne, velut antiquis Romanorum temporibus Regis oſcitantia atque avaritia factum eſt, perierunt? Sed ad Melitenſium rerum ſcriptores, quos a me exigis, pergo. Horum cum exilis admodum proſtet numerus, paucos admodum dare potero. Si enim NIEDERSTEDIUM, quem ipſe poſſidere te ais, Ordinisque Melitenſis Præcones excipias, nil mihi eſt præter MEGISERI propugnaculum Europæ, *d. i. Wahrhaſte Beſchreibung der Inſul Maltha Leipzig. 1606.* 8uo. Quem libellum unacum Rhenferdii periculo chariſſi-

riſſimæ matri reddi curavi, rogavique, ut aliis rebus ad vos transmittendis adjnngat. Duplex, uti accepi, exemplnm exhibere volui, ut tibi, quod velis, eligas. Unum capite, alterum collo truncatum. Phœnicium vocat RHENFERDIUS, non miror igitur, bibliopolas idiotas in rerum natura eſſe negaſſe, cum Punicum demandaverimus. Quis enim ignariſſimis illis unum idemque eſſe, quod Phœnicia literatura etiam per Africam, ut autor in rubro ait, patuerit, edocuiſſet? Phœnice rariores ſunt in hoc hominum genere, qui ultra literarum rudimenta nudosque librorum titulos ſapiant. Nunc ad iſtud ſubterfugium tuum atque præſidium venio, quo te ab omni culpa apud conjugem meam immunem reddere ſtudes. Sed nulla plane excuſatione opus erat, non enim tam eſt difficilis, ut jocos admittere neſciat. Imo agni lana mollior eſt, tantaque lenitate, ut infenſiſſima ſexui animalcula pollice premere atque necare nequeat, ſed Hiſpanicam, quam vocant, Inquiſitionem imitando, ne ſanguis effundatur, igni tradere ſoleat. Cum igitur tanta ſit manſuetudine atque benignitate, cur muliebris tibi enſiculus formidandus eſſet, inprimis cum me paraſtatam fore ſperare poſſis. Interim gaudeo, metum tuum utilem mihi fuiſſe, ut ad me concilian-

liandum ad programmata amici tui donanda induxerit. Cave, ne ſæpius Punicum aliquem terrorem tibi inferam, atque ſic concutiam. WOLFIO orationis dominicæ translationes ante octiduum miſi, ſed ſero nimis, cum prælo jam evaſerit nova editio. FABRICIUS iterum per Senatoris cujusdam filium literas miſit, unaque MS. TRATZIGERI Chronicon Hamburgenſe, cujus deſiderio me tactum ex WOLFIO intellexerat, dono dedit. MSti hujus mentio revocat mihi in mentem, Dn. LANGIUM, tibi mihique amiciſſimum, collegam vero tuum honoratiſſimum, cum me peramanter nuper ſalutaret, declaraſſe ſe Cornelii illius Nepotis MS. de quo olim tibi dixeram, poſſeſſorem, mihique ſpem feciſſe, ſe illum unacum Tertulliani alioque Italico Codice æquo pretio conceſſurum. Ni grave igitur et tibi et illi foret, rogarem te, ut veteris proverbii, cito dantem bis dare, eum memorem redderes, adduceresque, ut ſtatuto cuilibet pretio videndi copiam faciat. Tanto enim deſiderio, ſi aliquod ejusmodi potiundi ſpecula illuceſcit, flagro, ut nec mora nec requies mihi eſſe poſſit. Non invidebit pro ſua benivolentia atque dexteritate, nec datam ſpem præſcindet, cum unus alterve codex ipſi parum utilis, mihi vero, qui plures poſſidet, bibliothecamque

que inſtruo, inſigni augmento atque ornamento erit. Urge igitur illum, nimium tamen deſiderium celans meum. Licet enim virum probum atque optimum pretium ideo auctūrum minime metuam, puderet me tamen, amico quaſi vi quadam, quæ poſſidet, extorquere, et absque ſuſpenſa ab illo hedera inurbane licitari, vel etiam incommodis elicere blanditiis. Libri ex Italia demum advenere. Exoptata tibi Græca Græciæ deſcriptio in Cypri Italicam, uti prævideram, injucunda metamorphoſi mutata eſt. Interſunt autem MSta aliquot non contemnenda recentiora, unicus ſaltem membranaceus, nec is antiquus valde, probæ tamen notæ, plurima Ciceronis opuſcula complectens. Vellem videres cæteros libros optimos, ad hiſtoriam maxime literariam ſpectantes. Sed filum abrumpo, ne prolixiores ad te ſcribam, cui nulli niſi peremptoriæ, quas ICti vocant, ad videndum declarari vel publicari ſententiam dandæ fuiſſent. Vale cum cæteris amicis, resque tuas feliciter perage. Scribebam d. XI. May 1715.

CXCII.

CXCII.

AMICORVM PRIMIPILO

ZACH. CONR. AB VFFENBACH

S. P. D.

JO. HENR. MAJVS. F.

Quem tibi dedicatum ivi libellum, hic, ut vides adjectum, præſens offerre ſerio decreveram, niſi aliter Deo viſum fuiſſet. Quamvis enim laboribus typographicis ex parte me liberaverim, jamque occaſio ad te, amicorum Alpha, veniendi arrideret novum ex improviſo acceſſit tamen impedimentum, hoſtis nimirum intra cutem meam deliteſcens, adverſa valetudo. Jam illo die, qui abitum matris ad vos anteceſſit, in debellando iſto adverſario ſtudium operamque ponere medicus cœpit, ſed vires ejus proſternere nondum quivit. Vis et genus morbi cognoſcere. Debilitas magna ſtomachi eſt, capitisque dolores perpetui; quæ niſi propediem ceſſabunt, febris metuenda erit. Non tamen animo ægroto, quem divina gratia hilarem adhuc ſatis habeo; neque etiam tantus morbi impetus eſt, ut me in lectum proſter-

ſternat ſemper; obambulo, curro, ſcribo, lego, ſed non ſine moleſtia. Ea vero eſt nunc mei capitis pertinacia, ut quid legam, quid ſcribam, quidve agam, prorſus non intelligam. Quare et veniam, ſpero, mi Vffenbachi, dabis, ſi aut obſcurius mentem litteris in præſentia expreſſero, aut contra Priſciani manes injurius fuero, Hoc unum doleo, quod a Muſis nonnihil abſtractus, codicumque tuorum MSS. tractatione, nihil agere, Galeni filio ſic volente, debeam. Culices proinde ſeco, plane alter Herophilus, quem 600. ſecuiſſe narrant. Muſcas cum Domitiano capto, caput ſcalpo, jejuniis me vexo, in vanum omnia. Remedium moleſtiarum in tuo quæro colloquio, quod ſalutare ſæpius expertus ſum, eoque nugantem etiam ac ineptientem pro tua humanitate feres. Quartam obſervationum mearum partem novum eſſe volui amicitiæ pignus, cujus hæ litteræ inſtrumentum. Digno munere quum tuam benevolentiam proſequi non potuerim, accipies, ſpero, benevole paupertatis profeſſionem, quæ præmittenda omnino eſt, ne et mole et pretio exiguum libellum prorſus contemneres. Proverbio dicimus: Ne bis ad eundem. Quod ſi in aliis quam oneroſis locum haberet, obſervandum omnino mihi duxiſſem, quin tibi mea,

qua-

qualiacunque demum fuerint, grata eſſe ſcribis, nomen tuum Muſis meis adeo venerabile, denuo præfigere ſchedis præſentibus non dubitavi. Cognoſcet ſaltem inde poſteritas, ſi quæ ad legendas meas nugas accedet, Vffenbachiani nominis cultorem me fuiſſe maximum. Cujus mei ſtomachi (non illius qui nunc me excruciat) argumentum præbebunt folia hæcce nova, menſe Majo tibi oblata; ex quibus etſi nec ſertum tibi parare queam, nec te dignum conſtruere faſciculum, voluiſſe tamen placebit. Κακοϛομαχον nil boni eructare noſti. Quare metuendum, ne plura narrando tibi tædium excitem. Nil addam amplius, quam ut eo animo excipias, quod a me, nondum languentis ſtomachi homine, elaboratum eſt, quo tibi illud conſecravi. Erunt quidem in his multa non ad ſtomachum tuum; ſed memor eſto illius veteris dicti: Hæc aut Catonis animo, aut Ciceronis ſtomacho ferenda ſunt. Id ſi feceris, ſtomacho etiam meo robur ſuum reſtitues priſtinum, capiteque tuo lepido annuendo, capitis quoque mei pertinaciam tolles. Vides heic libros nonnullos in ſcheda notatos, e quibus quosnam poſſideas, pater (qui ſua tibi nunciat officia,) deſiderat cummaxime ſcire. Quin et ego novam abs te peto gratiam, quam vel ſtomachi

machi mei cauſſa concedes. Memorias Trevultinas, et bibliothecam Clerici ſelectam, ſingulis nundinis ut mihi mittas, enixe rogo; quas ſimulac perlegero, (fiet autem hoc magna cum feſtinatione) non ſine gratiarum actione ad te remiſſurus ſum. Pater etiam meus Middendorpium tuum Bileamo noſtro committet; quod tibi, Vir amiciſſime, indicandum fuit, ne ejus auctoris memoriam tuæque ſimul benevolentiæ recordationem animo parentem exuiſſe opineris. Nihil adhuc rerum novarum, ex urbe veſtra allatarum, vidi, præter catalogum, bone Deus! quot quiſquiliis refertum. Puto et hunc multum vitii contraxiſſe ſtomacho meo; certe non ſine ſtomacho legi. Tu adeo, mi Uffenbachi, ne ſtomachum poſthac mihi facias, ſerio rogandus es. Facies autem, ſi quod ante annum feciſti, pro pietate mea, quam libellum novum dicando commonſtravi, libros, ſive multos, ſive paucos, ſive majoris, ſive minoris formæ, dono dederis. Nec ego munusculum volo, nec munus. Satis quippe mihi eſt, gratianimi indicium me declarare voluiſſe; ſatis te etiam feciſſe arbitror, ubi promte illud ſusceperis. Secus ſi feceris, te hominem ſummæ pertinaciæ (vides, quomodo tuo te gladio jugulem) habeo, qui non medelam languenti adferre, ſed novum infli-

gere vulnus ſtuduerit. Nugaciores ſcripſi literas, quam aut mea fert præſens conditio, aut me nunc exarare poſſe credideram. Illa tamen vivaciſſimi ingenii tui vis, quam, quoties tui recordor, mihi quaſi infundi ſentio, illa voluptas, qua in te adloquendo perfruor, ſpes denique illa te, virum vere optimum, optime interpretaturum nugas meas, effecerunt, ut ſtomachi torſiones non attenderim, eaſque res ſuas tantiſper habere juſſerim. Vale, amice ex animo dilectiſſime, et me perpetuo ama. Gieſſa, ſexto Idus Majas cIↄIↄccxv.

Quia nunc otio ita abundo, ut ſtomachari merito debeam, ac præterea nil, quod vires ingenii requirat, aut ſuſcipi a me poteſt, aut etiam, ex Medici, popularis tui, D. Heuſingii (ſine quo ſi eſſet, dudum ad limbum abire patrum coactus fuiſſem) ſevero interdicto, debet, inquiſivi interea in hoc libello nomen tuum, invenique undecies illud a me compellatum, tua, ut ſpero, cum venia; nempe pagina 1. 27. 37. 65. 76. 82. 120. 136. 147. 155. 188. Duodenarium quod non compleverim, rogas? Impari gaudet Deus numero. Cauſſam inſtitutæ modo numerationis quæris? Ut gratum me agnoſcas hominem, nec in eundem cum S - - veſtro cenſu locan-

locandum, quem tuis quidem uſum eſſe libris, at non ut tuis, ſed ut plane ſuis, conqueſtus olim ipſemet es. Vale, Vffenbachi amiciſſime, vale millies et undecies.

Arnoldi Meermanni theatrum converſionis gentium totius orbis, Antverp. 1572. et Francof. 1614. 8.
Hieron. Gracian a Matre Dei Eſtimulo de la Propagacion de la Fee. Oliſſop. 1586. 8.
Jo. Slotani dialogus de barbaris nationibus ad Chriſtum convertendis, Colon. 1560.
Jo. Dominici Veruſii, Beneventani, elenchus librorum, ſive typis ſive impenſis S. congregationis de propaganda fide impreſſorum. Romæ 1639. 4.
Joſephus Acoſta de promulgato Evangelio ap. barbaros, ſ. de propaganda Indorum ſalute, Lugduni 1670. 8.
Antonii Poſſevini collatio cum ethnicis. 4.
Anonymi *Ernſthafte Vermahnung die Bekehrung unglaubiger Vœlker fürzunehmen.* Amſt. 1664.
Chriſtiani Ravii et Matth. Waſmuthii litteræ circulares *wegen Einrichtung eines* Collegii orientalis de propaganganda fide, Kilon. 1670.

Iſaaci Fauſtii diſputatio de vero veræ relig. propagandæ modo. Argent. 1667.

CXCIII.

Præconi ſuo

JO. HENRICO MAJO FIL.

Dum ſervus ultimas ad te in curſorum diverſorium aſportat, Tuæ mihi adferuntur. Dolebam illas jam traditas, nec tempus etiam novas ſcribendi ſupereſſe. Nam obſervationum a prelo ſudantem adhuc tomum faſciculo ineſſe illico conjiciebam, debitasque gratias e veſtigio reddere voluiſſem. Quanta vero admiratio mea, cum ubique fere, et, quod maximum, in limine nomen poſitum, eidemque et hoc quoque volumen inſcriptum videbam. Summa cum voluptate cernebam illud, placebant initio epiſtolæ allatæ, atque ex veneranda petitæ antiquitate rationes, ſed adjecta contra voluntatem tam ſæpe tamque ſerio tibi explicatam encomia ſtomachum in te ſtomachantem erumpere facerent, niſi vale-

tudi-

tudinis tuæ ſumma mihi cura eſſet. Majori, ut Ciceronis verbo utar, ſtomacho me eſſe,languentemque tuum ſuperare poſſe experturus fores, modo erumpere illum in te, ob tui jam imbecillitatem, inglorium, immo nefas non omnino ducerem. Plena ſtomachi epiſtola tua, ſed ferret modo meus patereturque tuus multa, ſtomachandi etiamnum ſuppeteret materia. Sed nolo, uti dixi, deficientem laſſumque Tibi movere. Ab omni igitur increpatione, licet aliud meruiſſes inobedientia tua, abſtineo, hoc tamen rogo, ut ponderes, quid de nobis boni malique omnes cogitabunt. Illi ſtyli exercendi cauſa moremque ſeculi ſecutum te ornaſſe me laudibus, me vero meo me modulo metientem non adeo meis ipſum laudibus favere exiſtimabunt, ut ſine verecundia ea, quæ in me immerentem nimia tua in me benivolentia effudit, encomia intueri poſſim. Quid malevoli ſenſuri ſint, ipſe reputabis. Gloriabuntur vero, anſam calumniandi convitiandique illis datam, et quanto altius per laudes tuliſti, tanto graviori lapſu ruiturum ſperabunt, proque virili vellicando de eo, quo me poſuiſti faſtigio, detrudere conabuntur. Iisdem excipient contumeliis Palladium tuum, quo ranæ olim a Jove datum regem. Sed nil curabo inquinamenta coaxationesque,

nec tam moleſte feram, velut Fridlandiæ ille Dux, ut a te, quod ipſe, præfecto arcis ſub ſolita ei laquei pœna injunxerat, ut Seriphias illico redderet, exigerem. Id quod tu tamen æque facile ac ille accenſis ignibus ſolo nominis tui ſplendore præſtare poſſes. Aſt ipſe malevolorum nugas atque calumnias ſuperabo, ſpernendo ſcilicet. Tui vero cauſa maluiſſem, ut me laudando tibi peperciſſes, meque cauſæ tuæ judicem faciundo multis iisque graviſſimis exceptionibus utrumque haud obnoxium reddidiſſes. De ſola equidem mei plane inhabilis electione quæſtio eſſe poterit. Tam juſtam enim tamque bene, ut loqui amant, fundatam cauſam tuam ſcio, ut nunquam judex vel arbiter pro tribunali ſedere, frontemque componere neceſſe habiturus ſim. Honorario igitur, quo me donaſti titulo, quantum ſinet invidia, gaudebo indigniſſimus licet. Dum vero per Dativum, ut loqui amant, plerumque his temporibus noſtris acquirantur honores, quomodo gratis illam ego ferrem? Aſt cum manus mihi cohibeas, ſtomachumque opponas, jam ne malum illius, quod ſuperaſſe te ſpero, recrudeſcat, iſtud in præſens non urgebo. Num vero mandati hujus tui memor manſurus ſim, cum meorum præceptorum transgreſſor fueris, dubito. Ad petita nunc tua atque paterna

na reſpondeo, utinam vero re ipſa poſſem! Ex omnibus, quos Magnificus parens tuus, quem ſalvere jubeo, deſiderat libris, ne unicus, vah quanta premor penuria! ſuppetit. Lubentiſſime alias concederem, de reſtitutione, quod de Middendorpio quam maxime etiam dictum velim, minime ſollicitus. Clerici Bibliothecam, quam primum biliopegus illam conſuerit, habebis. Nuncia, an priores etiam tomos perluſtrare geſtias. Memorias Trevultinas quod attinet, plures illius partes non poſſideo, quam Belgæ recudi fecerunt. Cum correctionibus plurimisque additionibus amplior hæc fuerit editio, illam mihi comparaveram. Nunc vero cum præſtigiatores, qui id in ſe ſuſceperant, aliquot jam annis ab opere ceſſent, illis mihi non ſine tædio carendum eſt. Promiſit tamen Wetſtenius ea, quæ mihi deſunt, et quæ in poſterum in Galliis proditura ſunt, volumina ſe comparaturum. Nollem enim ex hoc librorum genere quidquam mihi deeſſe. Germanus meus plurima, quibus hactenus carebam, in Italia coemit Eruditorum quæ vocant Diaria. De MStis, quæ nuper accepi, jam dixi, addendum tamen, quod, cum diligentius illam Cypri deſcriptionem evolverem, me in fine adjecta quædam Græca deprehendiſſe

folia, quorum argumentum tamen non liquet. Vides igitur, non vanum atque irritum plane tuum fuiſſe augurium. Sed finiam, ne nauſeanti ſtomacho tuo prolixitate mea tædium creem. Vale, curaque, ut cum illo totius corporis moderatore ac ſoſpitatore in gratiam redeas, Comoque celebrato a Philoſtrato Deo litare poſſis. Dabam d. 14. May. 1715.

CXCIV.

AMICORVM CORYPHAEO

ZACH. CONR. AB VFFENBACH

S. P. D.

J. H. MAJVS.

Recte me prioribus tuis litteris puerperam vocaſti, cujus nunc partes impleo, fractus quippe adhuc viribus, capitisque ſuſtinens dolores continuos. Neque igitur cauſſa fuiſſet, cur nonnihil ſtomachabundus moræ culpam in me rejiceres, quum

quum potius fatum abs te, vir amiciſſime, accuſandum fuiſſet. De quá tamen controverſia noſtra verbum poſthac additurus non ſum, certo perſuaſus, te, ſi me amas, veniam eo facilius mihi daturum, quo majoribus atque moleſtioribus vinculis conſtrictus, ad te excurrere non potui. Hæc ipſa infirmitas mea impedivit, quo minus operam reſiduis adhuc tribus MSS. tuis impendere potuerim, quam illis non denegabo, quam primum in gratiam cum valetudine rediero. Quatuor ultra decem ſupereſſe tibi nuncias volumina manu exarata Ebraica, olim a me luſtranda, atque reliquis adjungenda. Gaudeo quidem, laboris hujus finem adeſſe; at, tui nominis cauſſa honoriſque bibliothecæ tuæ, vellem centuriam MSS. Ebraicorum implere poſſes, tibique fidem do, me, poſtquam 99. tute comparaveris codices, additurum centeſimum, tibique donaturum. Quem nuper nactus es, amice jucundiſſime, in ſcheda per Judæum adnotatum librum, Pentateuchum ſcias eſſe, cum gemina, ut venditor narrat, interpretatione. Alter ille liber in eadem ſchedula ſignatus, Abarbanelis eſt *Atereth ſekenim*, ſive Corona ſapientum, hoc eſt, commentarius de Prophetia, de quatuor Elementis, et in Exodi XXIII. 20. item

 in

in nonnulla alia, quondam inter rariores libros Rabbinicos tibi a me commendatus. MEGISERI deſcriptionem inſulæ Melitæ, ac RHENFERDII periculum Phœnicium, (lapidem illum, in quem offenderunt biblicpolæ) accepi; illa ſatis accepta ſtudiis meis eſt utilisque, ſed, quod maxime dolebis mecum, eo ipſo capite, quod antiquitates et linguam deſcribit Melitenſium (eſt illud ordine primum) manca, deficientibus quippe duobus foliis, quorum interitum vehementer lugeo. Rhenferdii exemplar retinebo, quod titulo caret; alterius enim collum facile charta pura reſarcire poteris. Tibi vero gratias ago hoc nomine maximas, quod non modo ſchediaſma iſtud Punicum ex Batavia advocare, ſed et dono mihi dare volueris, quam tuam benevolentiam omni officiorum genere proſequi nunquam deſiſtam. Orationem Dominicam multilinguem videre geſtio, hoc ſolo nomine, ut quænam acceſſerint ad priorem editionem translationes, quænam adhuc deſiderentur cognoſcam. Cum collega meo, LANGIO, locutus ſum non modo de Codicibus, quos poſſidet, ſed et inſpexi. Cornelii Nepotis (c) æta-

(c) De codice hoc Cornelii Nepotis venuſto

ætatem ipſe refert ad ſæculum X. vel certe undecimum, eſtque litteris elegantiſſimis exaratus, et majores quidem initiales ſunt Longobardicæ, deauratæ, colorumque varietate exornatæ. Folium in eo deficit ſprimum. Tertulliani Apologeticus ſcriptus eſt, ni fallor, anno 1479. deſideranturque in eo quatuor folia. Codex alioquin venuſtiſſimus eſt. Italicus continet hiſtoriam naturalem verſibus comprehenſam, cujus auctor memoria excidit. Omnes ſunt membranacei. Rogatus a me LANGIUS, num venales eſſent, id quidem non negabat, etſi perquam ſibi charos eſſe codices illos profeſſus fuerit. Inprimis animadverti Nepotem ab eo amari impenſe, eoque ſibi eſſe hunc auctorem indicare olim noluiſſe, nihilominus, de pretio, quod trigæ codicum ſtatuat, quæſitus, definire illud non auſus eſt, putans permutationem cum aliis libris honeſtiori titulo fieri poſſe, quam ſi bibliopolæ inſtar mercaturam exerceret. Denique Cl. BUDDEI Lexicon univerſale commemorabat, quod ſi,

---

nuſto quidem, ſed UFFENBACHII judicio vix ſeculum XIV. attingente vid. Bibliothecæ Uffenbachianæ MStæ Part. IV. col. 220. ſq.

ſi, una cum ſupplemento, loco trium codicum ſuorum abs te impetrare poſſet, facile ſe conceſſurum aiebat illos. Addebat et hoc, ſi forte nimium poſtulaſſe viſus eſſet, poſſe ſe forſan deinceps uno alterove libro compenſare, quod ad permutationem ex æquo inſtituendam deeſſet. Quin et inſpectionem codicum tibi, amicorum princeps, concedet prius, quam permutatio inſtituatur. Peto itaque reſcribas, quænam ſit tua voluntas. Quia MSS. meminimus, addam ſimile quid, tibi forſitan non injucundum. Novi quendam hic loci, qui MS. poſſidet Italicum, quem quia nunc in ædibus habeo, prolixius tibi deſcribam. Eſt membranaceus, foliorum CCCXLIII. in 4. Titulum gerit *Candelæ virtutum*, (*d*) auctoremque agnoſcit Petrum Hippolytum Lunenſem. Liber, ut videtur, egregius eſt, continens non modo ſententias veterum fere omnium Philoſophorum de virtutibus, verum etiam ad hiſtoriam philoſophicam non parum operæ ſpondens, exhibens nimirum Thaletis, Solonis, Chilonis, Pythagoræ, Symmachi, Diogenis Cynici, Ana-

(*d*) Uberiorem hujus nitidiſſimi Codicis deſcriptionem exhibet Bibliothec. Uffenbach. MS. Pars IV. col. 229. ſqq.

Anaxagoræ, etc. apopthegmata, ſubjicitur mundi deſcriptio, ex Iſidori Originum Lib. XIIII. deſumta, Et hujus codicis poſſeſſorem non alienum a permutatione cum libro æquivalente audio, vellemque tuæ potius bibliothecæ eum inſeri, quam alterius. Quod libri pretium auget, aureis non modo litteris ac figuris priora folia exornata ſunt, verum et FREINSHEMII manus in fronte adpicta eſt, et ex bibliotheca Vaticana petitus dicitur. Hæc occaſione prioris epiſtolæ tuæ. Venio ad alteram. Habeo tibi maximam gratiam, quod ignobilem dedicationem leviſſimumque libellum tanto cum favore admiſeris; quod uti novum adfectus tui erga me benevoli præbet argumentum, ita me daturum operam promitto, quo me dignum tua amicitia demonſtrem. Antea me contumacem atque pertinacem vocaſti, nunc etiam inobedientem. Cohorrui ad hos titulos, ſine culpa, ut puto, mihi donatos, niſi quod falſam quandam opinionem pectus tuum invaſiſſe intelligam, quam evellere conabor. Ne quid de pertinacia mea dicam (nam hoc epitheton, utpote vetuſtum, nec plane ſtatui meo præſenti incongruum, qui pertinacis capitis dolores adhuc experiri initio profeſſus ſum, nunc mittam) id vocas inobedien-

dientiam, quod aliquid laudum tuarum, quas multas mereris, ediſſeruerim. Cogita, mi UFFENBACHI, conditionem tuam, cogita et meam. Te in illuſtri loco poſitum, totque virtutibus (lubens hæc ſcribo prudensque) florentem, et eruditis jam ubivis notum, ſine aliqua elogii commemoratione prætermittere neque volui neque debui, non ideo, quod id moris ſit dedicantium aliquid, ſed quod veritas hanc confeſſionem extorſerit. Præterea in opuſculo ipſo non alio, quam ſummi amici nomine compellatum te leges; dedicationem ſemper excepi. Nec bonos, nec malos metuo. Boni enim, qui te norunt, vera me dixiſſe conſentient; malis autem ſolenne eſt, etiam de optimis male ſentire, neque eorum cenſurum attendit ſapientum quisquam. Videntur tibi meæ dedicationes ſtili exercendi cauſſa inſtitutæ; ſed et heic a janua aberras, amice optime. Solus amor eſt, et grata mens, quæ ad id præſtandum me impulerunt; quod vero illa adgnoſcere nolis, id ceteris meis malis debeo. Artem rhetorum non exerceo, neque eam profeſſionem unquam meæ additum iri ſpero vel opto, eſſetque vana proinde induſtria mea, quam in hac re ponere vellem. Fucum verbis meis ab inepto oratore (ita enim vis) profectis, nemi-

nemini facere ſtudeo, multo minus tibi, cujus indoles mihi tam nota eſt, ut hoc ſermonis purpuriſſo minime egeam. Duo potiſſimum diſplicuiſſe tibi ſcribis; primo, quod te arbitrum delegerim cauſſæ meæ, dein quod Palladium litterarum nominaverim. Quum tibi jam olim ſignificaverim animum meum, a conſuetudine vendendi dedicationes, quæ tamen pleroſque omnes obſedit, alieniſſimum, mirari amplius non debes, quod te voluerim judicem, quia alios recuſo; dabisque hoc amori erga te meo, neque ſpem, quam de te concepi, irritam reddes. Atque hæc etiam cauſſa eſt, cur libros mihi te olim exhibiturum non obſcure indicas, plane ad vendendi ſpeciem pertinere exiſtimem, eoque te denuo rogem, ne fidem meam corrumpere adgrediaris. Jam quod litterarum te dixerim Palladium, nec pœnitet me, nec pudet. Dicturus ſum illud omnibus, qui, quis UFFENBACHIUS ille Francofurtanus exiſtat, ex me poſthac quærent. Palladium cœlo delatum ſalutem præſtitit imperio; tu, vir amiciſſime, divino munere non mihi ſolum, ſed litteratis omnibus, conceſſus, egregie juvas conatus omnium, fersque laborantibus opem. Sufficiant hæc ad mei defenſionem, quam vel ideo inſtituere debui, ut ab omni ſiniſtra, quam de me concepiſti, ſuſpicione

ne me ipſum liberem. Priores bibliothecæ CLERICI tomos non deſidero; fiat initium ab hoc anno. Idem de Memoriis Trevultinis dictum volo, quarum ultimas duntaxat partes, poſteaquam ad te perlatæ fuerint, mecum communes fieri enixe rogo. Deſcriptioni Cypri quædam folia Græca adjecta eſſe, non ſine voluptate intellexi, perlecturus illa ſuo olim tempore longe majori cum jucunditate. Ex Anglia nuper ad patrem miſit Thomas BRAYUS ſpecimen ſuum de Martyrologio generali, Proteſtantium duntaxat perpeſſiones exhibituro, rogatque Germaniæ eruditos omnes, ut auxiliatrices ferre manus, et quæ ad hanc rem vel edita habent opera, vel MSS. indicare velint. Quam ob rem pater meus, prævia officiorum pleniſſima ſalute, rogat, velis, ſi grave non fuerit, quæ bibliotheca Tua ad hanc rem facientia continet, ſignificare, quæ is deinceps, addito, quod fas eſt, tuo nomine, Anglo illi nunciabit. Ipſum ſpecimen ſi nondum vidiſti, (prodiit Londini 1714. fol.) pater ad te mittet, ut conſilium editoris penitius perſpicias. Eſtne tibi liber (*e*), cui titu-

(*e*) Inter libros perraros referen dus, vid. Cel. GERDESII Florilegium librorum rariorum, p. 243.

titulus: *Idea reformandi Anti-Chriſti?* conſtat tribus tomis, ſine loci notatione Anno 1623. in 4. editis per Erycum RHONÆUM, multis cum figuris æneis. Ejus quia duplex copia eſt patri meo, offert tibi exemplum unum ad commutandum cum alio libro, qui bis tibi obtigit, quemque ad ejus inſtituta ac ſtudia facturum aliquid exiſtimaveris. Vale nunc, mi VFFENBACHI, et me ama. Gieſſa, XVI. ante Calendas Junias, cIↄIↄccxv.

OBSERVATIO

De primis hiſtoriæ Martyrum ex cœtu Proteſtantium ſcriptoribus. (*f*)

Præclarum ac nobile fuit inſtitutum, in ſuperiori epiſtola laudatum, quo Thomas BRAYVS Anglus Confeſſorum et Martyrum geſta literis conſignata in unum cor-

(*f*) B. D. BVDDEVS in ſua Iſagoge hiſtorico-theol. ad theologiam univerſam ſingulasque ejus partes, Tom. II. Pars V. p. 904.

corpus redigere in animum induxerat. Nihil enim æterna memoria dignius, nihil ad obfirmandos piorum in fide animos conducibilius, quam eximia illa fortium Chriſti athletarum exempla, qui invicto animo cœleſtis doctrinæ veritatem ad ſanguinem usque ac necem conſtanter propugnarunt. Recte ſane Theodoricus RVINARDVS in præfatione generali Actis primorum Martyrum ſinceris præmiſſa:

Si virorum illuſtrium præclare geſta „diligenter adeo annalibus hiſtoricis com„mendantur, ut in his monumentis, „veluti in ſpeculo quodam, poſteri, quid „pro vita recte inſtituenda amplecten„dum, quidve fugiendum ſit, intellige„re poſſint: quanto majori ſtudio, quæ „nobis ſuperſunt de Chriſti Martyrum „actis, colligenda ſunt, ut eorum lectio„ne excitati fideles, quæcunque in vitæ „Chriſtianæ decurſu difficilia aut dura oc„currunt, patientiſſime tolerent, quin etiam

---

p. 904. ſqq. de Martyrologiis quidem veteris eccleſiæ erudite diſſeruit, de iis vero, qui piorum Martyrum poſt Reformationem geſta literis conſignarunt, plane ſilet.

„etiam, ut, ſi quandoque aliquid inſoli-
„tum et arduum pro tuendis Chriſti par-
„tibus aggrediendum ſit, id audeant, at-
„que facultates ipſamque vitam, ſi res
„ita exigat, impendere tantorum homi-
„num exemplo numquam refugiant? *Ar-
„mantur* enim, inquit Eucherius Lugdu-
„nenſis in Homilia de SS. Petro et Pau-
„lo, *filiorum animi, dum patrum recenſentur
„triumphi. Ex his quippe intelligimus, quan-
„tum debeat deſiderari vita illa æterna, quam
„per vulnera, per intolerandos labores videmus
„inquiri, quam cognoſcimus pretio ſanguinis com-
„parari.* Id ſane perſuaſum erat priſcis
„illis Chriſtianis, qui furentibus licet per-
„ſecutionibus, aut certe paullo poſt, iis
„ſedatis, tanta cum ſollicitudine, ſæpius
„etiam cum vitæ periculo ſanctorum
„Martyrum acta comparare ſatagebant,
„ut nullum non moverent lapidem, nulli
„induſtriæ, labori atque auctoritati par-
„cerent, quo votis ſuis potirentur.

Quum vero eccleſia etiam, divino beneficio ae LVTHERI aliorumque ſummorum virorum miniſterio a priſtinis ſordibus repurgata, magno numero intrepidorum iſtiusmodi fidei ad vincula et mortem usque cruentam aſſertorum gaudeat, gratiam ab omnibus bonis inierunt, qui eorum memoriæ conſervandæ, et ad

 poſte-

poſteros propagandæ ſuam impenderunt operam. Si enim martyres martyribus ſint conferendi, haud equidem video, verba hic Joannis FOXI (*g*) mea facio, cur minus et noſtris Martyribus officii laudisque debeatur, quam priſcis: quippe qui nulla commendationis parte ſint illis inferiores, ſive numerum ſpectemus morientium, ſive afflictionum magnitudinem, aut in moriendo conſtantiam, vel fructus etiam expendamus, quos vitæ hominum et Evangelio amplificando attulerunt. Illi ſiquidem naſcentem veritatem ſanguine irrigarunt: hi vero collapſam cineribus reſtituerunt. Illi in prima acie conſtituti, primos hoſtium impetus ingenti conſtantiæ magnitudine exceperunt, nosque docuerunt vincere: at iſti nihilo ſegnius vicerunt triarii, in ultima cadentes legione. Illi tanquam egregia mundi ſeminaria, primi omnium arva eccleſiæ inculta conſeverunt: at hi irrigua ſanguinis ſui fœcunditate ad maturitatem hanc provexerunt.

Quis igitur evangelio ex animo favens non illius modi literarum monumentis apprime delectetur, quæ tantorum heroum

(*g*) in prooemio, Commentariis rerum in eccleſia geſtarum præmiſſo, f. 2.

roum notitiam exhibent, eorumque actiones, fidem ac conſtantiam nobis ob oculos ponunt? Hoc primo quidem ſingularibus ſcriptis factum eſt, quorum nonnulla hic, exempli cauſa, enarrare juvat.

Fratris Jacobi, Præpoſiti Auguſtiniani, quondam Prioris Antverpienſis, Hiſtoria utriusque captivitatis propter verbum Dei. Ejusdem Epiſtola ad auditores ſuos Antverpienſes 1522. in 4.

Hiſtoria de duobus Auguſtinenſibus, ob Evangelii doctrinam exuſtis Bruxellæ, d. 30. Jun. A. 1523. Articuli LXII. per eosdem aſſerti. Item pia et chriſtiana expoſtulatio cum quodam, qui veritatem, quam profeſſus fuerat, impiorum tyrannide et horrore mortis tandem abnegaverat. A. 1523. in 8.

Artickel wider Doctor Stephan CASTENBAVR *eingelegt, auch was er darauf geantwortet hat aus ſeiner Geſængnis, neulich von ihm ausgangen 1523. in 4.*

Eine wahrhaftige Geſchicht, wie Caſpar TAVBER, *Bürger zu Wien in Oeſterreich für eineu Ketzer, und zu dem Tod verurtheilt und ausgeführt* worden *iſt. 1524. in 4.*

Von Henrico Sudphanienſi *in Diedmar verbrannt, ſamt dem 10. Pſalm ausgelegt durch*

durch Martin LVTHER, *an die Stadt Bremen geſtellt. Wittenb. 1525. 4.* Eandem hiſtoriam lectu digniſſimam, Latine redditam, inſeruit etiam Vincentius OBSOPOEVS Epiſtolarum Lutheri farragini, Hagenoæ A. 1525. in 8. editæ.

Hiſtorie oder wahrhafftige Geſchicht des Leydens und Sterbens Lienhard KAYSERS *ſeligen, etwan Pfarrers zu Weitzenkirchen, von des heiligen Evangelii und Gœttlicher Warheit wegen zu Paſſau verurtheilt, und zu Scherding verbrannt, am Freytag nach Laurentii im Jahr 1527.* Item *ein Troſtbrief* D. *Mart.* LVTHERS, *gemeldtem Lienhart Kayſer ſeligen in ſeinem Gefængnis zugeſchickt. 1527. in 4.*

Wahrhaftige Hiſtorie von dem frommen Zeugen und Mærtyrer Chriſti Johannſen HEUGLIN *von Lindau, ſo um Chriſtlicher Wahrheit willen durch den Biſchoff zu Coſtenz zu Mersburg verbrannt iſt worden auf den 10. Tag May 1527. in 4.*

Wunderbarliche und neue Geſchicht von einem Wagner, genannt Gœrg, der verbrannt iſt worden zu München im Bayerlande im 27. Jahr am 8. Febr. und gantz chriſtlich verſchieden iſt. 1527. in 4.

Artickel der Doctoren von Lœven, zu welchen Wilhelm von SCHWOLLEN, *Königs Chriſtiernen Forirer, chriſtlich hat geant-*

geantvvortet, und daneben eine chriſtliche Bekäntniſs gethan, darauf er zu Mecheln in Niederlande verbrannt iſt A. 1529. den 20. Tag. Oct. Mit einer Vorrede Joh. BVGENHAGEN *Pomer. Wittemb. 1530. in 4.*

Wie die hochgelehrten von Cöln Doctores in der Gottheit und Ketzermeiſter den Doctor Gerhard WESTERBVRG *des Fegfeurs halben als einen Unglaubigen verurtheilt und verdammt haben &c. Wie auch D. Gerhard* WESTERBVRG *von dem Urtheil der hochgelehrten Doctoren von Cöln appellirt, und auf Kayſ. Maj. ſich beruffen hat, und vvas vveiter daſelbſt für Kayſ. Maj. Kammer-Gericht und Stathalter in dieſer Sache gehandelt iſt. Aufs letzt vvie demſelben D. Gerh. Weſterburg ſein vaterlich Erb- und Far-Amt am Rhein genommen und entfremdet iſt vvorden durch Kraft und Macht der Urtheil der Doctoren in der Gottheit. Marpurg. 1533. in 4.*

Querela de Eccleſia. Epicedion Martyris Chriſti, D. Roberti BARNS Angli, auctore Johanne Saſtroviano. Lubec. 1542. in 8.

Franciſci DRYANDRI Hiſtoria captivitatis ſuæ ob Nov. Teſt. Hiſpanice redditum, et mirabilis e carcere Bruxellenſi liberationis. Antverp. 1545.

 Hi-

Hiſtoria vera de morte ſancti viri Jo. DIAZII Hiſpani, quem ejus frater germanus Alphonſus Diazius, exemplum ſecutus primi parricidæ Cain, velut alterum Abelem nefarie interfecit. per Claudium SENARCLEVM ad Martinum Bucerum. cum longa epiſtola D. M. BVCERI ad Ottonem Henricum, Palatinum Rheni, Bavariæ Ducem, in qua de præſenti ſtatu Germaniæ multa continentur lectu inprimis digna. Item Chriſtianæ religionis ſumma, Jo. DIAZIO Hiſpano auctore, ad eund. Ottonem Henricum. 1546. in 8.

Neue Zeitung aus dem Niederland, welche anzeigen die grauſame und unchriſtliche Tyranney wider die armen Chriſten um Gottes Worts willen &c. 1546. in 4.

De Fanini Faventini ac Dominici Baſſanenſis morte, qui nuper ob Chriſtum in Italia Rom. Pont. juſſu impie occiſi ſunt, brevis hiſtoria, Franciſco NIGRO Baſſanenſi auctore. Clavennæ pridie Kalend. Nov. 1550. in 8. &c.

Deinde vero, cum hujus generis libelli facile diſparerent, quod commune ſcriptorum minutiorum fatum eſſe ſolet, extitere viri inſignes, qui non horum dun-

duntaxat, ſed aliorum etiam, quos noverant, evangelicæ veritatis Confeſſorum et Martyrum hiſtoriam deſcribere, eorumque memoriam ad poſteros transmittere allaborarunt. Primus in hoc inſtituto locus merito aſſignandus eſt civi meo, ac æterno Memmingæ meæ decori, D. Ludovico RABUS (h), Theologo primum Argentoratenſi, et poſtmodum Ulmenſis eccleſiæ Superintendenti, qui A. 1552. tomum I. operis de S. Dei Confeſſoribus veteriſque eccleſiæ Martyribus ordine alphabetico Argentorari in 8. edidit, multorum autem rogatu incitatus eundem in Germanicum ſermonem converſum A. 1554. in forma quadruplici ibidem vulgavit, hujusque eximii operis ſenſim ſenſimque octo partes cum figuris in lucem emiſit, hoc titulo: *Hiſtorien der heiligen auserwehlten Gottes Zeugen, Bekenner und Märtyrer, ſo zum Theil in angehen der erſten Kirche altes und neuen Teſtaments geweſen, zum theil aber zu dieſen unſern letzten Zeiten, in denen der allmächtig Gott ſein Volck wiederum mit der reinen Lehr ſeines Worts gnädiglich heimgeſucht hat, worden ſeind.* Secunda pars, varios jam recen-

(h) Ipſe beatus Vir cognomen ſuum tanquam ἄκλιτον in ſcriptis ſuis uſurpat.

centioris ævi martyres complectens, cujus epiſtola nuncupatoria ad Senatum Reip. Memmingenſis ipſis Calendis Martii ſcripta eſt, eodem anno 1554. prodiit, tertia A. 1555. quarta A. 1556. quinta, ſexta & ſeptima A. 1557. tandemque octava A. 1558. Integrum vero opus deinceps A. 1571. et 1572. duobus voluminibus in fol. Argentorati recuſum fuit, in quo non pauca de piorum Confeſſorum et Martyrum geſtis ſcripta, ſigillatim edita, ab oblivione et interitu feliciter vindicata ſunt, quæ alias haud dubie pridem periiſſent. Alter, qui in hoc campo deſudavit, eſt Jo. FOXUS, Anglus, qui religionis cauſa tum exul in Germania Argentorati A. 1554. typis Wendelini Rihelii in 8. excudendum curavit Commentariorum rerum in eccleſia geſtarum, maximarumque per totam Europam perſecutionum a Wiclevi temporibus ad ſuam uſque ætatem deſcriptionis Librum primum. In calce acceſſerunt Aphoriſmi Joannis WICLEVI, cum collectaneis quibusdam Reginaldi PECOKI, Epiſcopi Ciceſtrienſis, item ὀπιςογραφία quædam ad Oxonienſes. Epiſtola dedicatoria ad Chriſtophorum Ducem Wirtembergenſem data eſt die 31. Aug. 1554. In hisce commentariis FOXUS variorum martyrum, præſertim Anglo-

Anglorum ſæculi potiſſimum decimi quinti, geſta deſcripſit, et hunc librum primum, quinque aliis adjectis, denuo Baſileæ in folio A. 1559. luci expoſuit, cum hac epigraphe: *Rerum in eccleſia geſtarum, quæ poſtremis et periculoſis his temporibus evenerunt, maximarumque per Europam perſecutionum ac ſanctorum Dei Martyrum, cæterarumque rerum, ſi quæ inſignioris exempli ſint, digeſti per regna et nationes Commentarii. Pars prima, in qua primum de rebus per Angliam et Scotiam geſtis, atque in primis de horrenda ſub Maria nuper Regina perſecutione narratio continetur.* Secundam partem in eadem forma ibidem A. 1563. publicavit Henricus PANTALEON, Profeſſor Baſileenſis, titulo *Hiſtoriæ Martyrum* ipſi indito, in qua, cum in prima Martyres tantum Angliæ et Scotiæ commemorati fuiſſent, res notabiles Martyrum per Germaniam, Galliam et Italiam a Jo. Huſſi tempore ad annum 1563. geſtæ copioſe continentur. Habetur etiam Anglice *John FOXE Eccleſiaſtical Hiſtory, or the Book of Martyrs* cum figuris, tribus primæ magnitudinis voluminibus conſtans, ac Londini A. 1641. typis exſcripta, de qua editione obſervat Jo. Burchardus MENCKENIUS in Bibliothecæ ſuæ Catalogo p. 661. in ea hiſtoriam Martyrum in uni-

ver-

verſum, non Anglorum tantum et Scotorum, uſque ad A. 1612. contineri.

Tertius illorum, quorum induſtria, ne unquam obliterari memoria Martyrum poſſet, effecit, eſt Jo. CRISPINUS, Atrebas, qui religionis gratia Genevam conceſſit, ibique artem typographicam ſtrenue exercens, non ſolum præclaris veterum Græcorum Latinorumque monumentis, aliisque bonis libris excudendis ſtudia liberalium artium adjuvit (i), verum ipſe etiam pro doctrinæ ſuæ copia Manutiorum exemplo varios ſui ingenii fœtus reliquit. Ejus cura ἀνωνύμως primum ſine loci indicio A. 1555. in 12. prodiit *Recueil de pluſieurs perſonnes, qui ont conſtamment enduré la mort pour le nom de noſtre Seigneur Jeſus Chriſt, depuis Jean Wicleff et Jean Huſſ jusques à ceſte année preſente MDLV.* in quo libro Martyres potiſſimum reformati cœtus celebrantur. Hæc autem collectio ſæpius recuſa tandem in grande primæ magnitudinis volumen excrevit. Variæ ejus editiones enarrantur a Jacobo le LONG *in Bibliotheque hiſtorique de la France* Libr. II. f. 80. Mihi præter primam,

(i) vid. Mich. MAITTAIRE Annales typograph. Tom. III. Part. II. p. 535. ſqq.

mam, cujus memini, in promtu eſt ea, quæ ex laudata Jo. CRISPINI officina A. 1570. in integri folii forma hoc titulo luci data fuit: *Hiſtoire des vrays Teſmoins de la verité de l' Evangile, qui de leur ſang l' ont ſignée, depuis Jean Hus juſques au temps preſent: comprinſe en VIII. Livres contenans Actes memorables du Seigneur en l' infirmité des ſiens: non ſeulement contre les forces et efforts du monde, mais auſſi à l' encontre de diverſes ſortes d' aſſauts et hereſies monſtrueſes. Les Preſaces monſtrent une conformité de l' eſtat eccleſiaſtique en ce dernier ſiecle, à celuy de la primitive Egliſe de Jeſus Chriſt* (k).

Ut vero hujus laboris fructus ad quamplurimos perveniret, in alias quoque linguas hoc Martyrologium translatum fuit. Et primo quidem ipſe Jo. CRI-

---

(k) Tandem hæc hiſtoria, cum Reformatæ Eccleſiæ Gallicanæ res miſere afflictæ eſſent, in compendium redacta h. t. Amſterodami A. 1684. in 12. prodiit: *Hiſtoire abregée des Martirs François du tems de la Reformation: avec les reflexions et les raiſons neceſſaires pour montrer, pourquoi et en quoi les perſécutés de ce tems doivent imiter leurs exemple.*

CRISPINUS id negotii Claudio BADVELLO (l), viro docto et pio, impoſuit, ut illud in Latinum ſermonem converteret. Prodierunt igitur Genevæ in forma octuplici A. 1556. ex officina Criſpini cum ejus præfatione ACTA MARTYRUM, *eorum videlicet, qui hoc ſeculo in Gallia, Germania, Anglia, Flandria, Italia conſtans dederunt nomen evangelio, idque ſanguine ſuo obſignarunt: ab Wicleffo et Huſſo ad hunc uſque diem.* Deinceps eadem hiſtoria inſigniter aucta, et in octo libros diſpertita, in forma quadrifariam complicata per eundem A. 1560. h. t. recuſa fuit: ACTIONES ET MONIMENTA MARTYRUM *eorum, qui a Wicleffo et Huſſo ad noſtram hanc ætatem in Germania, Gallia, Britannia, Flandria, Italia et ipſa demum Hiſpania veritatem evangelicam ſan-*

(l) Hunc Philippus MELANCHTHON A. 1534. ſingulari epiſtola etiam atque etiam Reginæ Navarræ commendavit. vid. Collectionem Epiſtolarum MELANCHTHONIS Manlianam, p. 167. ſq. Hanc epiſtolam inſeruit etiam Chriſtophorus PEZELIUS Lib. III. Epiſtolarum Phil. Melanchthonis, Bremæ A. 1590. evulgato, p. 20. ſq.

ſanguine ſuo conſtanter obſignaverunt : quibus nova Jo. CRISPINI præfatio præmiſſa eſt. Sed et Germanica exſtat hujusce operis verſio , ſæpius impreſſa , ac variis ſenſim acceſſionibus locupletata , cujus mihi ad manus eſt editio , Herbornæ A. 1603. in 8. curata , quæ hunc in fronte geſtat titulum : *Märtyrerbuch , darinnen erſtlich merckliche denckwürdige Reden und Thaten vieler heiligen Märtyrer beſchrieben worden , welche nach den Zeiten der Apoſtel bis aufs Jahr Chriſti 1574. hin und wieder in Teutſchland , Engelland , Schottland , Niederland , Italien , Hiſpanien &c. um der Göttl. Wahrheit willen jämmerlich verfolget , gemartert , uud endlich auf allerley weiſe entleibet ſeyn worden : aus den franzöſiſchen Geſchichten der Märtyrer ausgezogen. II. Hiſtoria vom Zuſtand der Kirchen Gottes in Schottland , Engelland , Niederland , Franckreich und Hiſpanien , von 1557. bis aufs 1597. Jahr. III. Hiſtoria von der Niederländiſchen Gemeine , wie dieſelbige in Engelland unter dem König Eduard angefangen , ins Elend unter der Königin Maria verjagt , und was mit derſelbigen in Dennemarck und an andern Orten ſich zugetragen im Jahr 1553. 1554. IV. Hiſtoria vom Leben Galeacii Caraccioli , eines Marggraven von Vico aus Italien , welches da iſt ein recht Muſter und Exempel chriſt-*

chriſtlicher Beſtändigkeit in der Bekantniſs der erkannten Göttlichen Warheit.

Tandem Paulus CROCIUS, Theologus Reformatus, hujus Martyrologii amplificandi curam ſuſcepit, cujus poſtrema editio, ſpiſſo majoris formæ volumine conſtans, cum continuatione ad annum uſque 1656. Bremæ ſub titulo: *das groſſe Martyrbuch*, A. 1682. typis exſcripta fuit.

Primus, qui hiſtoriam Martyrum Belgico ſermone expoſuit, fuit Adrianus Cornelius HÆMSTEDIUS (m), cujus habemus *Gheſchiedeniſſe ende den Doodt der vroomen Martelaren, de om het Ghetuggheniſſe des Evangeliums haer Bloedt gheſtort hebben, van den Tyden Chriſti af tot den Jare 1559. toe, by een vergaderd up het Kortſte.* A. 1559. in 4. Recuſa eſt hæc hiſtoria cum alias, tum A. 1658. cum figuris

(m) De hoc viro ſingulari conf. Biblioth. hiſt. philol. theol. Bremenſ. Claſſ. V. p. 710. ſqq. ac præſertim Celeb. D. GERDESII Hiſtor. Reformat. Tom. III. p. 270. ſqq.

guris æneis et variis acceſſionibus cura Jo. GYSII (n).

Quod vero denique ad Thomæ BRAYI conſilium pertinet, prodiit Londini A. 1714. in integri folii forma Propoſitum de Martyrologio generali, quod ad Proteſtantium tantum perpeſſiones ſpectat, conſcribendo, cui addita Sylloge epiſtolarum quarundam ad viros doctiſſimos transmarinos ſcriptarum, una cum eorundem reſponſis. Totum opus in duos dividere tomos vir eruditus ſtatuerat, rurſus in varias partes ſecundum regionum per orbem Chriſtianum rationem dividendos. Primus tomus uſurpationes papales et bella funeſtiſſima, Principibus ut plurimum ſecularibus illata, enarrare debebat, et hic, ni fallor, Anglico ſermone publicam lucem vidit. Alter Waldenſium et Albigenſium, qui illuſtres veritatis evangelicæ teſtes, tam per ſecula media et reformationem antecedentia, quam ei ſuccedentia exſtiterunt, hiſtoriam, per eorundem propagines in variis Europæ regnis, ſtatibus, et rebus publicis,

(n) vid. Ven. Jo. VOGTII Catalog. libr. rarior. p. 326.

publicis, ad noſtra uſque tempora deducendam, ad poſteros transmittere debebat, in eaque bella, lanienæ, perſecutiones, et inquiſitiones in ſubditorum ut plurimum perniciem, qui in ditione degunt Principum, tyranidem papalem tum exauctorantium, tum hucusque ſub eadem ſeſe incurvantium, ſecundum temporum ordinem memoriæ mandandæ fuiſſent. Hujus autem tomi, in duodecim partes dividendi, nihil hactenus, quod ſciam, morte haud dubie BRAYI intercedente, in dias luminis auras exiit. Epiſtolæ, hujus eximii conſilii cauſa invicem miſſitatæ, ſcriptores agnoſcunt præter ipſum BRAYUM viros eruditiſſimos Danielem Erneſtum JABLONSKIUM, Jo. Baptiſtam OTTIUM, Theodorum HASÆUM, Hadrianum RELANDUM, Jo. Jacobum SCHERERUM. Nemo illorum inter varios hiſtoriæ Martyrum ſcriptores vel unico verbo noſtri Ludovici RABUS, tam præclare de hoc argumento meriti, mentionem facit, quod ſummæ raritatis operis illius martyrologici præſtantiſſimi manifeſtum eſt indicium.

CXCV.

AMICORVM DVCI ATQVE CAPITI

ZACH. CONR. AB VFFENBACH

S. P. D.

J. H. MAJVS. F. (o).

Salve, Lycurge, vel, ſi mavis, Draco, crudeli nimirum pœna in me miſerum animadverſurus. Peremtorie me citaſti, hominem, ut vocas, contumaciſſimum, et inſignis pertinaciæ. Hæc ſunt illa encomia, quibus me mactas, non auditum prius, et ſine cauſſæ cognitione inter reos relatum. Comparuiſſem, amiciſſime VFFENBACHI, et libens quidem,

 cum

(o) Typothetæ culpa factum eſt, ut epiſtolæ trajicerentur, earumque ordo nonnihil turbaretur. Hæc enim, reſponſionem continens ad centeſimam et nonageſimam, pag. 41. locum habere debuiſſet, id quod monendum eſſe duxi.

cum ut ſpei meæ, ſane ardentiſſimæ, ſatisfacerem, tum ut morem gererem ſuaviſſimæ tuæ invitationi, atque amore tandem me tuo explerem. Malus vero intervenit dæmon, vere niger, quem circulos meos turbaturum e ſpecula prævideram, eoque ultimis meis litteris dubium reddideram adventum meum, ut tanto fortius abſentiam tu meam, ego negatos amplexus tuos ſuſtinere poſſim. Lentum illud ſordidumque hominum genus, quod typographos adpellamus, novam obſervationum mearum partem nondum abſolverunt, etſi jam pridem facere potuiſſent. Neque enim in me culpa reſidet, qui materiam omnem, quam formis exſcribere debent, diu tradidi, ſed in ſolis illis tenebrionibus, me nunc retinentibus, atque invitis quibuſdam vinculis conſtringentibus. Correctio ſuſcipienda eſt opuſculi mei, quo labore niſi ipſus defungar, innumera, ſcio, obrepent menda, quæ ne præſens quidem evitare poſſum omnia. Poſt quinque, ſex, dies abſolvetur ille labor, ex quo tamen novus, et priori ſimilis, naſcitur, cura ſcilicet corrigendi priorem tomum, denuo, ut nuper dixi, imprimendum. Ejus quia jam quatuor plagulæ typis ſunt exaratæ, et quia Hockerus vehementiſſime urget, jam tua ſponte vides, quid ad

ad tantam capitis pertinaciam me induxerit. Doleo, iraſcor, metuo ; nihil proficio. Permanendum nunc eſt, ſerviendumque non tam typothetarum lucro , quam uſui publico. Vatem itaque merito me adpellare potes ; ſed ad oracula ejusmodi edenda non ſua culpa voluntateque incitatum , ſed neceſſitate quadam adactum , prout et Bileamo noſtro eveniſſe novimus. Fraudi non eſt mihi vector ille tuus, neque etiam ignominiæ ; etſi te formoſiſſimi ſcilicet ! animalis poſſeſſorem ſciam, ad me autem nonniſi uſumfructum, hoc eſt, ſtercora, pertinere, adgnoſcam. Cardinalium, inquis, ſocietatem ſpernis ? Permitte, mi VFFENBACHI , ut te contra Logicam peccaviſſe , fallaciamque compoſitionis ac diviſionis commiſiſſe, dicam. Purpuratorum ſocietatem quis vilipenderet ? At aſinorum plerique omnes. Quomodocunque ſe res habeat, ſemel cum his animalculis commercium habere , tua ex voluntate , cœpi; quod nunc bonis quadrupedibus, licet nimium clamoſis, non interdicam, quia ſpes eſt, liberatum me mox iri hoc conſortio. Jam enim MSS. tuos Ebraicos codices excuſſi fere omnes, ſex tantum ſuperſtitibus, quibus pariter luſtratis, miſſurus ad te ſum novum vatem tuum , et quidem , intra duas

 hebdo-

hebdomadas dierum, ſolemni addita gratiarum actione, quod me dignum judicaveris, qui ſanctiſſimo Prophetarum, Apoſtolorum, piorum, doctorumque virorum ordini inſeras, quos omnes Aſinos fuiſſe Cornelius monſtravit Agrippa, capite ultimo libri de vanitate ſcientiarum. Aſellorum Ebraicorum non magna amplius tibi erit copia; ſexaginta enim et unum codices jam tractavi manibus meis, recordorque, te ante annum ſcripſiſſe, LIX. MSS. Ebr. tibi ſuppetere. Si qui tamen adhuc in mandra latent Bileami poſteri, eos omnes ad me ſimul venire impera, quo onere aliquando iſto me levare, ad equumque Trojanum, ſiveGræcos ſcriptores, pervenire poſſim. Id tamen ſimul abs te, VFFENBACHI ſuaviſſime, peto, ut ſi ſpatium forſan aliquod vacuum fuerit relictum, illud uno alterove ſcriptorum rerum Melitenſium implere velis. Mihi nullus ad manus eſt, præter Burchardi Niederſtedt Melitam veterem et novam; tibi vero innumeri erunt, quos ordine perlegam omnes, tua tamen cum venia. Et ego impenſe lætor, periculum Punicum tandem a Vetſtenio ad te allatum, cujus nunc videndi legendique deſiderio flagro. RAPHELII annotationes in N. T. ex Xenophonte, Hamburgi ap. Liebezeitium 1709. 8. editas

editas poſſideo, multo cum labore, nec ſine laude, ex Muſa illa Attica collectas, a doctisque benevole exceptas. Quibus commodum vir induſtrius ſubjungit, ut nuncias, annotationes ex Polybio et Arriano, antevertitque WOLFII noſtri Hamburgenſis induſtriam, quippe qui in notis ad Caſauboniana pag. 275. Polybianas dictiones cum novi inſtrumenti libris commiſſurum ſe promiſit. Celeberrimi FABRICII eruditionem novum expoſuiſſe bibliothecæ Græcæ volumen, dum ſignificas, evangelium aliquod mihi nuntias. Hactenus quæ ad priorem epiſtolæ tuæ, VFFENBACHI amiciſſime, partem reponenda habui; quod nunc in ea ſequitur, triſte eſt et inſuave, omnemque mihi jocandi facultatem ademit. Ad tribunal me vocas cum Muſarum tuarum, tum matronæ optimæ maximæ, uxoris tuæ: illas me contemſiſſe ſcribis, hanc nefandis criminationibus malisque ſuſpicionibus contaminaſſe. Primum accuſationis membrum ut probare velis, rogandus es. Nemo eſt, mihi crede, ex omnibus, qui tuas noverunt Muſas, qui majore veneratione proſequatur easdem, atque ego. Vtinam loqui nunc poſſet Bileamus, utinam rudere imperio ejus ſubditi populi; clamoribus, ſat ſcio, robuſtiſſimis tuam obtunderent vocem.

Quod vero nunc ad te tuasque Muſas accedere nequeam, contemtus minime eſt, ſed mera impotentia. Niſi enim ea, quam paullo ante memoravi, cauſſa remoram injeciſſet, jam me incluſum teneret ſacrarium tuum. Fieri ſæpe ſolet, ut quæ diu ſperavimus, levi de cauſſa evaneſcant, idemque mihi eveniſſe, non ſine ſtomacho expertus ſum. Significavi amicis Francofurtanis adventum meum, prædicavi illis, qui heic degunt, et te, mi VFFENBACHI, norunt, felicitatem meam, quam nundinis hiſce me percepturum arbitratus fueram, at nunc et cum pudore et dolore, aliter fata voluiſſe, cognovi. Quamobrem hanc inde conſtruxi in uſus meos regulam: Non temere dandam, vel principi etiam amicorum, fidem in negotio, quod tam variis caſibus obnoxium eſt. Poſthac nil amplius promittam, ne et te et me ipſum decipiam. Malo quippe de improviſo olim advenire, quam ſpem adventus ſæpius faciendo dubio nihilominus eventui memet ſubiicere. Alterum, quod mihi obiicis, crimen colorem habet aliquem, fundamentum nullum. Primum enim jocos me daturum, riſumque excitaturum Paſchalem, diſerte indicavi, eoque iſta omnia eo animo, quo ſcripſeram, fuerant interpretanda. Tum non puta-

veram

veram, te lectiſſimæ conjugi tuæ jocularia noſtra narraturum; alioquin ab ejus contrectatione me abſtinuiſſem. Jam et verba, quæ iniquius a me prolata cenſes, ita ſunt concepta, ut ubivis elabendi rimam inveniam. Non illam nuncupavi Xantippem. Abſit ſcelus! Ego enim ita veneror coſtam tuam, ut qui maxime. Hoc dixi, Xantippes me metuere cultellum. Quantum vero diſcriminis inter Xantippen ejuſque intercedat enſiculum, ipſe judicabis. Facile enim fieri poteſt, ut vel mitiſſimæ fœminæ vel caſu vel ſtudio, ad tempus breviſſimum, inſtrumenta ſumant crudeliſſima, adverſus eos inprimis, quos Zelotypiæ furore proſequuntur. Si quid tamen eſt, quod offenderit Dominam meam, per omnes ego Divas, per ipſasque Muſas tuas, per amorem, quo te, vir optime, complector, per cultum, quem ei debeo, ſupplex oro, iram nunc deponat omnem, imprudentique homini, ſed mali nil cogitanti, ignoſcat, pœnamque, quam ipſa voluerit, in me ſtatuat, promto animo ſuſcipiendam. Interea, ſi quid forſan tibi, mea cauſſa, tolerandum fuit ſiniſtri a Junone tua, ut quamprimum in gratiam cum illa redeas, auctor ſum, eoque nomine, ad placandam illam, commendo tibi lectiones binas, a Luciano in Aſino,

 tomo

tomo II. operum pag. 82. ſ. edit. Amſtelod. propoſitas ; quibus bene abs te obſervatis, furor, ſpero, ceſſabit omnis. Denique, ut te aliquo modo mihi conciliem, adieci programmata nonnulla, Oſnabrugo nuper ad me miſſa per Kœnigſmannum, profeſſorem quondam Kilonienſem, meum familiarem, quæ tibi donanda exiſtimavi. Gemina etenim exempla quum ad me miſerit auctor, cui redundantia darem potius, quam tibi, non habeo. Vale, et me poſthac perpetuo dilige. Gieſſa, quinto Nonas Majas cIↄIↄccxv.

Novum pridie Academia noſtra Cancellarium nacta eſt, jurium doctorem primarium, Mollenbecium Seniorem, virum juris privati ſatis peritum, utinam et litterarum amœniorum, vel ſaltem harum non hoſtem. Plura non addam. Tu vale millies, una cum coſta tua, cui mea obſequia interpretaberis.

CXCVI.

CXCVI.

JO. HENR. MAJO FIL.

Agnoſco amoris Tui in me, quem tam multis tamque egregiis comprobaſti exemplis, magnitudinem. Facile igitur illum in me laudibus exornando exceſſum vel raptum ignoſco atque condono, ea tamen conditione, ut in poſterum ab iſto Tibi temperes, meisque oculis atque pudori parcas. Quod precibus etiam omnibus, iisque enixiſſimis a Te peto. Hiſce præmiſſis graviter doleo morbi Tui pertinaciam, animitusque precor, ut, niſi jamdum Phœnicis inſtar, quod ſpero, revixeris, priſtinam brevi valetudinem recuperes, nullumque Lernæ iſtius malorum, ſtomachi puto, æſtum, nullaque adverſæ valetudinis incommoda ad Neſtoris usque annos experiaris. Nulla vero te, amice dilectiſſime, codicum meorum cura angat, nec manus illis ante admoveas, quam plane reconvalueris. Dum reliquos vel reſiduos nuper enumeravi, Cabaliſticos aliquot in locum damnatorum detruſos vel ſepoſitos addere oblitus ſum. Horum tamen pauci admodum ſunt, nec ad cen-

centenarium a Te, quod abſit, complendum numerum anſam præbebunt. Abſit etiam, ut ad loculos opplendos numerumque rotundum faciendum aliquo Codice emungere vel privare Te velim. Megiſero duo deeſſe folia et Tui et mei cauſa deploro. Orationis Dominicæ noviſſimam editionem comparare, uti ſponte mea ante lectas Tuas jam demandaveram, neglexit Wetſtenius. Videbo autem, an a noſtris illam habere poſſim bibliopolis. Sin minus, e Belgio accerſam. Tædet me vero moræ, quam Tibi facio, qui tam promtum in exequendis petitis meis Te præbes. Inſigne, hercle! præſtitiſti mihi apud honoratiſſimum Collegam Tuum officium, quod ad concedenda MSta permoveris. Ego vero oblatam permutationem non reſpuo, transmiſſurus Buddeanum, quod expetit, Lexicon, quamprimum Jungius illud ex Lipſienſibus nundinis receperit, reliqui enim bibliopolæ iniquius illi pretium, viginti nimirum Imperialium, ſtatuunt. Brevi me illud facturum ſpondeo, retinebit autem eo uſque Dn. Langius, quem ex me ſalutabis, libros ſuos, ſi vero concedere ante vellet, acceptiſſimi mihi forent. Alter, de quo nuncias, codex pergratus etiam futurus erit, ſi a Te comparari mihi poſſit. Rogo igitur, ut perconteris, quid

pro

pro illo exigat poſſeſſor, vellem autem, non Italica, ſed ſua quæque lingua ſcripta eſſent. Noviſſimæ Clerici bibliothecæ tomos omnes, cum non niſi duo ſint, transmittendos duxi. Priorem etiam ideo addidi, ut munuſculorum numerum, cum per errorem bis a bibliopola acceperim, augeret: erat enim animus tot componere, quot tu vicibus nomen meum immortalitati conſecraſti. Aſt non potui tot reperire inter meos; fidem autem datam frangere nolui, parata ſcilicet pecunia alios coemendo. BRAYI ſpecimen nondum mihi perſpectum videre geſtio, ut viri inſtitutum penitius cognoſcere liceat. Neſcio enim, an ſolos Papicolarum furores, quos a tempore repurgatæ doctrinæ in eos, qui Proteſtantes vocantur, exercuerunt, deſcribere velit, an illorum etiam cruciatus, qui ante illa tempora teſtes veritatis extitere, vel eorum denique tribulationes, qui ob ſingularia quædam dogmata a quibuscunque ſectis afflicti atque vexati ſunt. De poſtremis bene multa nondum edita ſubminiſtrare poſſem. Sed de Romanenſium perſecutionibus in Proteſtantes, ut ſalutantur, noviſſimis quæſtionem tantum eſſe coniicio. Quidquid ſit, omnia, quæ modo libraria mea ſupellex promere poterit, lubentiſſime ſuppeditabo.

bo. Id quod Magnif. Parenti multa cum ſalute nunciabis, ſimulque debitas gratias meo nomine referes, quod Rhonæum concedere voluerit, gratiſſimum utique, niſi jamdum in bibliotheca mea compareret. Hanc elapſis nundinis egregie locupletavi, facta iterum cum Bottigero permutatione. Nactus ſum inter alia, præter Petri POMPONATII opera ſtudio Guil. Grataroli Baſileæ A. 1567. edita, ejusdem rariſſimum de Immortalitate animæ opuſculum (p), libellum item

(p) Inſpergam hic locum memorabilem ex epiſtola Jo. CROTI Rubeani ad Henr. Urbanum Bononiæ A. 1518. exarata, Petro BÆLIO, Venerabili HEUMANNO, NICERONIO, Cel. BRUCKERO, aliisque, qui de POMPONATIO commentati ſunt, quod ſciam, ignotum. Ita autem ille: Qualem controverſiam de lana caprina contra Jo. REUCHLINUM concitarunt Magiſtri noſtri, talis hic mihi jam videtur pullulare, in re tamen diſſimili. Petrus Pyrrhetus, Vir in Peripatetica philoſophia tota Italia præſtantiſſimus et ingenio acerrimus, edidit libel-

tem Claudii SALMASII de Epiſcopis et Presbyteris, quem ſub ficto Walonis Meſſa-

---

libellum, quo diſputavit, animam hominis una cum corpore interire, e ſententia Ariſtotelica, nihil tamen derogando auctoritati fidei, penes quam ſola et unica veritas conſiſtat, qua magiſtra animus morte caret, moriente corpore. Contra diſſeruerunt Monachi, doctrina Ariſtotelis animam humanam eſſe perpetuam, incipere cum corpore, cum eodem non deſinere: quam opinionem Petrus in alio edito libello acriter refutavit. Ibi Monachis alia forma pugnæ ingreditur. Nam quo Petro viderentur potiores, impetrato pontificali fulmine, neſcio an igneo, an frigido, Petri libellum una cum ipſis lectoribus jugulant. Hic Petro ſua injuria magna videtur. Provocat quoscunque fratres, quocunque velint, ad diſputationes. Dictus erat ab illo dies tertius pugnæ publicæ apud Epiſcopum, Præſidem urbanum, præſentibus viris celeberrimis certaminis arbitris. Accurrit Petrus ardenti animo, nil malens, quam in aperto congredi cum capputiatis pugilibus. Sed

Meſſalini nomine contra D. PETAVIUM Lojolitam ſcripſit, illuſtris viri, ſuaque

---

Sed ubi deſcendit in harenam, adverſarium nullum invenit, manentibus domi Monachis, ſive diffidentibus ſuis viribus, ſive in occulto aliquid machinantibus. Ubi tergiverſantes fratres animadvertit Philoſophus, deliberato animo clamavit coram Judicibus, e republica fore, Monachos omnes ardere pluribus rogis. Videbimus bella, horrida bella, nulla ex parte mitiora Pepericorniſticis. Petrus priusquam fratribus, niſi oſtendant errorem, cedere velit, vitam una cum re amittere vult, tantusque hic publico ſermone habetur, ut in peripatetica Philoſophia contra totam Italiam poſſet ſtare. Non etiam indoctus ſacrarum literarum, quas alio modo legi præcipit, quam ſolent illi, qui eas ſophiſticis gerris conſpurcant. Contra unus eſt exercitus omnium Monachorum, Franciſcanorum, Dominicanorum, Servorum, Carmelitarum, et quicquid fratrum eſt in ſuis coenobiis de rebus frivolis diſputantium. Cupienter expecto contentionis progreſſum. Quic-

ſuaque ætate eruditorum facile principis, D. BLONDELLI manu illuſtratum (q). De

Quicquid erit, vobis amicis ſignificabo. Unum tamen vereor, ne pax interveniat aliquorum hominum ſtudio. Videtur mihi hæc diſcordia præſtare paci. Hactenus CROTUS, qui paucis aliis interjectis ſic pergit: De Italia nihil novi, niſi quod Leo X. Pater ſanctiſſimus, addo et craſſiſſimus, in omnium odio habetur, et Imperatoris adventus expectatur, tanquam præſentis alicujus Numinis. vid. Libellum alterum, Epiſtolas complectentem Eobani Heſſi et aliorum quorund. doctiſſ. virorum, ſtudio Joach. CAMERARII Lipſiæ A. 1557. editum, eumque perrarum. plag. K. Per Pyrrhetum autem POMPONATIUM indicari, res ipſa docet. *On l' appelloit vulgairement il PERETTO, parce qu' il étoit extrémement petit; mais il avoit un grand eſprit, et il paſſa pour un des plus grands Philoſophes de ſon ſiecle*: verba ſunt NICERONII in vita POMPONATII. vid. ejus *Memoires pour ſervir a l' hiſtoire des hommes illuſtres*, Tom. XXV. p. 329.

(q) vid. Bibliothecæ Univerſalis Vffenbachianæ Tom. IV. p. 29. ſq.

De hoc BLONDELLO narrabat celeberrimus CRENIVS, cum illum Lugduni Batavorum inviſerem, virum hunc maximæ eruditionis ac ſtupendæ plane lectionis in apponendis ablativis adverbiisque ſignis tam ſcrupuloſum fuiſſe, ut omnibus etiam, quos legerit, libris omiſſa illa addiderit, vel ſuperſcripſerit, quod in plurimis, quæ Blondelli fuerant, voluminibus monſtrabat. Id quod in eo, de quo jam dixi, libro apparet. Mirandum etiam, BLONDELLVM tam minuto ſcripſiſſe charactere, ut vix ſine læſione oculorum legi poſſint. Vidi in bibliotheca Amſtelodamenſi publica BARONII Annales, ejus manu ita notatos. Quas caſtigationes animadverſionesque luci dare ipſe potuiſſet, Romanenſibus adeo formidabiles, ut Rex Galliæ oblato eum ſalario ſeu annua penſione avocare ab inſtituto ſtuduerit. Minutiſſima Blondelli ſcribendi ratio ex iis quoque, quæ meo libello adpinxit, elucet. Eodem modo ſcripſiſſe etiam Adolphum OCCONEM Medicum, et Antiquarium e primis, qui huic ſtudio operam navarunt, præſtantiſſimum, ejus de numismatibus opus (r) Func-

(r) vid. l. c. p. 37. Huic exemplari capita Im-

Funccio donatum teſtatur, quod mea ſervat bibliotheca, ejus non ſolum manu, ſed quam plurimis elegantiſſimis nummorum aliisque figuris exornatum. Dab. d. 24. Maij 1715.

P. S. Dum in eo eram, ut epiſtolam obſignarem, attulit Judæus, quos inſertæ his ſchedulæ inſcriptos vides, libros. Duo ex illis ſunt manuſcripti. Cave igitur, ne brevi centenarium attingam numerum, Teque promiſſis ſtare cogam.

Imperatorum et Imperatricum ab Henrico van der Borcht, de quo conf. hujus Syllogæ Part. I. p. 28. calamo elegantiſſime appicta erant.

CXCVII.

AMICORVM PRINCIPI

ZACH. CONR. AB VFFENBACH

S. P. D.

JO. HENR. MAJVS

Et ego amoris in me tui magnitudinem adgnoſco non tantum, ſed et exoſculor. Aeque tuliſti raptum, ut vocas, meum, atque minus bene valenti bene precaris. Nondum vero plene ſanitati redditus ſum, quippe qui veterani hoſtis inſultus latentemque vim aliquando adhuc experior, non prius corpore eliminandum penitus, quam equum conſcendero, non Trojanum illum, nec Bileamicum, (hunc enim quieſcere etiamnum jubeo) ſed illum, quem, Germania ortum, Germano homini vires redditurum ſpero. De centenario codicum tuorum, vir amiciſſime, numero a me complendo, nolim ſollicitus poſthac ſis. Vltimum enim certiſſime additurus, rotundoque numero finem ſum impoſiturus. Habes

Habes hic trigam codicum MSS. Langianorum, una cum deſcriptione eorundem a viro optimo datam, quem nulla cura teret ſervandi promiſſi tui, ſatis gnarum Buddeanum lexicon cum ſupplementis et certo et in tempore adventurum. Ad alterum Codicem Italicum quod attinet, concedere nequeo, ut ſuſpenſo amplius animo exiſtas. Poſſeſſorem itaque ſcias eſſe patrem meum, ſed quem tunc nominare nolebam, quia de concedendo tibi codice nondum certi quid ſtatuerat. Jam vero aut cum ipſo præſens colloqui de permutatione cum Patrum aliquo, ſive Græcorum ſive Latinorum, (huc enim inclinare parentis animum video) vel etiam ſcriptore quocunque alio, ejus ſtudiis inſerviente, poteris, librumque recipere, quamprimum volueris. Relinquet enim tuæ æquitati omnia, neque pretium codici adſignabit. Quod non munusculum, ſed vere munus dare mihi conſtitueris, ſtomachum, crede mihi, movet; ferremque tuam, quam in donando quæris voluptatem, modo intra veteres geminoſque tibi ſubſiſteres libros, nec ad recentiorum coemtionem feſtines, quod tam grave mihi eſt, quam quod graviſſimum. Ita fiet, ut omnem mihi copiam, te publice ulterius compellandi, adimas, me autem in eorum ordinem coniicias,

 qui

qui pretio opuſcula ſua viris doctis nuncupant, quos inter ut referar, ſemper cavi. BRAYI ſpecimen Martyrologii generalis pater ſecum adfert, monſtrandum amicis, quos et Francofurti et in thermis Wisbadenſibus offendet; quare tibi inprimis illud ad luſtrandum mittet. Libros nove ſuppellectili tuæ ſplendidiſſimæ adjectos gratulor, precorque, ut his ſimiles ſuccedant complures. Minuti characteres Blondelliani faciunt, ut ROLFINKII mentionem iniiciam, quem contra tam pingues tamque craſſas in ſcribendo pinxiſſe litteras ferunt, ut vel minimæ alioquin liber molis, ejus manu exaratus, tam denſus evaſerit, ut vix robuſtiſſimus virorum loco movere potuerit. Tam editi libri, quam duo ſcripti Rabbinici, nuper abs te, amice ſuaviſſime, emti, bonæ ſunt notæ omnes. Eſt tibi, quod ſcio, (vidi enim apud te) Lexicon Rabbinicum, *Aruch* dictum, et niſi fallor, duplici copia; unum manu DRUSII illuſtratum, ſi recte recordor, alterum ſine illuſtrationibus manuſcriptis. Si unicum duntaxat ejus tibi eſt exemplum, ut olim reliquis adiicias libris, fruendumque concedas, vehementer rogo; ſin duplex, ut ſi abrogare alterum velis, mihi iſtud præ aliis concedas, pariter enixe peto. Vides, quam me fecerit auda-

cem

cem tua adverſum me prona voluntas. Neque tamen petere hoc abs te ſuſtinuiſſem, niſi ex ultima tua epiſtola cognoviſſem, te denuo aliquid librorum mihi donaturum. Quare ſi *Aruch* geminum poſſides, unum concede, quæſo, mihi, et muneri tuo detrahe, quod Lexico illi addes. Nondum petendi finem facio. Etenim ut per amanuenſem tuum ex Diodoro Siculo libri quinti caput XII. et Stephanus Byzantinus quæ habet in vocabulo Μελίτη, deſcribenda accurate cures, et Græce tantum, deſidero. RHENFERDII periculum Phœnicium doctum quidem eſt ſchediaſma, ſed quod me parum juvit, quia numos tantum exponit, et ſuo ingenio, novitatis ſtudioſo, comminiſcitur multa, quæ confutare nemo poterit, niſi qui ipſis inſpectis numis rationem et hiſtoriam vocaverit in conſilium. Interea gratiſſimum fuit perlegere eruditum meletema, quod vel eo nomine jucundum utrique noſtrum eſſe debet, quia paucis admodum viſum, olimque plane non comparebit, diſputationis quippe forma in lucem miſſum. Nihil habeo, quod addam. Et hæc ipſa vix feſtinare potui. Noctis erat tempus, oculique ſomno propemodum obruti, et corpus feſſum. Feſtinationi itaque et lituris maculiſque facilem

veniam

veniam dabis. Cura, ut valeas. v. Kal. Jun. cIↃIↃccxv.

Langius codices ſuos, quos hic accipies, a Zieglero emit, et viliori quidem pretio, quam ſe accepturum ſperabat. Quod ideo ſignificandum tibi juſſit, ne male de ipſo ſentias, intendente pretium, quia majore dignos reperit; neve a Zieglero poſthac decipiaris, enormem pecuniæ ſummam pro MSS. more ſuo poſcente. Iterum vale.

Matri meæ, ad nos perendie revertenti, ſi quid habes librorum ad me mittendorum, committere poteris. Vale millies, mi VFFENBACHI.

CXCVIII

CXCVIII.

CVLTORI
VFFENBACHIANÆ BIBLIOTHECÆ
AVGVSTO
JO. HENR. MAJO FIL.
ZACH. CONR. AB VFFENBACH.

Deſidioſum, negligentem, inofficioſum, atque, quod turpiſſimum, ingrati animi hominem me nuncupare atque habere merito poſſes, vel certe ſtati temporis tenaciſſimum, quod ad dulciſſimas Tuas tam ſero reſpondeam. Exegiſſent officii partes non ſolum, ut ad amantiſſimas extraordinarias Tuas illico reſponſum dediſſem, ſed et de redditis optime codicibus certiorem Te quoque feciſſem. Sed cum de venerandi vectoris, cui credideras, cura nullum tibi dubium eſſe potuerit, graveſque occupationes me a ſcribendo impediverint, nil reſtat, quod excuſare apud Te humaniſſimumque Dn. LANGIVM debeam, quam quod ſeras nimis gratias agam, illi, quod tam cito codices extradere, Tibi vero, Ami-

ce integerrime, quod tam promtum in procurandis illis Te præſtiteris. Dn. Langium prævia a me ſalutatione ſecurum quæſo facias, me Lexicon Buddeanum, quamprimum huc delatum fuerit, e veſtigio transmiſſurum, nunciabis ipſi etiam, codices non ſolum ob ſummam, qua ſeſe commendant, elegantiam, ſed et ob doctam, quam illis ſuſpendere voluit, hederam arriſiſſe. Diffiteri tamen nequeo, tantam eſſe capitis mei (liceat mihi hoc Profeſſoris Tui, quod me tantopere delectavit, verbo uti) pertinaciam, ut lepidam ſane de antiquitate regalique præſtantia perſuaſionem admittere, tantæque Nepotianum codicem antiquitatis reputare poſſit. Imo ſi, quid mihi videatur, dicere fas ſit, illum, quem paternæ Tuæque benivolentiæ acceptum fero, ætate multum ſuperare vix crediderim. Quod tamen minime dictum velim, ac ſi minoris ideo pretii, utpote qui maximi utique mihi eſt, faciam. Acceptiſſima potius omnia fuiſſe volumina aſſeres. Quam gratum vero illud fuerit, quod Magnificum Parentem Tuum poſſeſſorem, Te vero, Amice mellitiſſime, legitimum olim hæredem agnovit, dicere ſatis nequeo. Declaravi id quodammodo venerando Patri, cui ſaluberrimas ex animo thermas precor. Tibi vero,

vero, Amice integerrime, hoc teſtatum facerem, debitasque, ſi poſſem nunc, exſolverem gratias. Latere tamen Te nolim, me noviſſimam Irenæi editionem, quæ Lutetiæ Pariſiorum lucem vidit, venerandoque Parenti Tuo non diſplicituram intellexi, comparaſſe. Gaudeo ſane, me illam nanciſci opportune potuiſſe, cum multum Grabiana præſtare videatur. Nondum tamen compingi faciam, ut honoratiſſ. Parens perluſtrare primum in reditu, utinam felici! queat, eo magis, quod, an dignum pro egregio codice æquivalens eſſe poſſit, dubius hæream, de quo tamen Optimum Parentem Tuum certiorem me redditurum confido. Tuum equidem expoſcerem quoque arbitrium, aſt nimis Te ſcrupuloſum atque verecundum in his indies experior. Quam atrocibus enim ſodes! minis macilentam atque elumbem, ut ita dicam, liberalitatem comprimis? vidiſti, quam exigua abundantium vel geminorum libellorum copia fuerit, et nihilominus novorum parandorum licentiam adimis. Tantopere vero binas illas, quas obiicis, detrectationis rationes perhorresco, ut, licet de illis ne ſomniaverim quidem, Tuæ tamen voluntati cedere atque obſequi cogar. Facile autem ipſe judicabis, quam ægre acciderit, quod Vene-

Venerandus Dn. Pater præſtantiores nuper libellos, Palladium ſcilicet et GRABII Spicilegium, utpote quos jamjam, ut inde coniicio, poſſidet, remiſerit, nihilo, quod dignum oculis Tuis, ferme remanente, nullaque ſpe affulgente, quando meliora ſors ſit oblatura. Id vero me plane excruciat, quod deſideratum a Te Lexicon *Aruch* neque in bibliotheca, neque in catalogo reperire, diſpeream, ni verum loquar, queam. Edoceas igitur me, obſecro, an alium titulum liber forſitan gerat, Latinum ſcilicet: nam ſi Hebræa ſaltim lingua præfixus, mirum non eſt, me illum, ſacrarum literarum, proh pudor! plane rudem, invenire non poſſe. Hebraice enim inſcriptorum nullum plane indicem adhuc confectum habeo. Quamprimum vero Dn. Schudtius me acceſſerit, illos excutiendos dabo, Tibique fidem facio, Lexicon iſtud, quamprimum occurſurum eſt, me transmiſſurum. Quod alterum petitum Tuum attinet, vide, quam invitam ſe mihi hac vice præbuerit in Te juvando Minerva. Diodori Siculi nulla mihi præter Stephanicam, ſed quam pulchram! eſt editio. Hæc vero in capita diſtincta non eſt, illud igitur, quod deſcribi juſſeras, invenire non potui. Integrum igitur volumen ad Te perferendum

dum dedi. Quod eo libentius feci, ut Tuam de notis, oris libri adpictis, ſententiam audiam ob cauſas, poſtea Tibi aperiendas. E Stephano Byzantino deſideratum non ſolum, ſed et alium, quod Phoenicum quoque ibi fiat mentio, exſcribi, notasque adiici feci, non quod multum, utpote magis hiſtorica, Te juvare poſſe crediderim, ſed ne paucas intra lineas ſubſiſterem, ac plane nil Tui cauſa feciſſe videar. Clerici Bibliothecæ Criticæ illius hiſtoriæ, quæ MASSONII opera prodit, duos tomos adjeci, non ſolum ob eam, qua Jonæ Prophetæ locus Phoenicumque res ſimul illuſtrantur, diſſertationem, ſed ut ex Te audiam, num et hanc ſingulis nundinis habere velis, utpote palato Tuo, uti coniicio, præ illa arriſuram. Rhenferdii periculum parum ad rem Tuam facturum, ex iisdem, quas narras, cauſis illico conjeci. Aſt utinam nummos illos, quos illuſtrat, Tu, amice cariſſime, Tuis æque, ac ego meis ad hæc caligantibus feci oculis, intueri poſſes! Ex illo enim, quem Dn. de BARY ſervat, Theſauro ſunt, de quo olim ſcripſiſſe memini (s). Dum in nuperrimis

(s) vid. hujus Collectionis Part. I. p. 160. ſqq.

mis de novis bibliothecæ acceſſionibus dicerem, præſtantiſſimum, quod nominare fas erat, opus prætermiſi. HICKESII Theſaurus vere theſaurus eſt, diu a me deſideratus exoptatusque, niſi ingens deterruiſſet pretium, ſed, cum ad Tuam æque ac meam, hoc eſt, literariam rem conducat, comparandum utique duxi, eo magis, quod raritatem operis, prelum vix unquam denuo ſubituri, aucturam olim pretium perſuaſiſſimum mihi ſit; addere quoque debuiſſem præſtantiſſimam operum Platonis per Serranum et Stephanum editionem, nec non Thomæ Montis S. Agnetis in Trajecto Regularis Canonici (vulgo Thomæ de Kempis) libros de Chriſti imitatione quatuor, per Guntherum Zainer ex Reutlingen progenitum literis impreſſos ahenis, ſine anni mentione. Typorum vero ruditas evincit, eos primis ab artis typographicæ inventione annis fuiſſe impreſſos, hancque editionem, ſi non omnium primam, attamen e primis omnino eſſe. De novis nunc iterum Ebraicis, tam typis, quam manu exaratis libris teſtatur ſcabioſa verpi manus. Vale, et niſi jam integra, quod ſpero, iterum fruaris valetudine, cura, ut valeas. Scribebam d. 8. Jun. MDCCXV.

P. S. Evax! Dum hoc ipſo momento libros quosdam Argentina acceptos perlu-

luſtro, interque illos Megiſerum de Ordinibus Equeſtribus, deprehendo Malthæ deſcriptionem integram inſertam. Illam igitur prima deferet occaſio, unacum Polemonis aliorumque declamationibus, Græce a Stephano editis, qui etiam libellus inter novos dictos libros ſeſe obtulit, eodem in bibliotheca mea jam comparente; huic igitur in Tua locum non denegabis.

SYMBOLA
ad hiſtoriam certaminis de auctore Lib. DE IMITATIONE CHRISTI collata.

Meminit in literis modo exhibitis VFFENBACHIVS meus editionis pervetuſtæ et oppido raræ libr. de Imitatione Chriſti, de qua conferri meretur Vir Clar. P. Euſebius AMORT in Epiſtola critica de præcipuis controverſiæ Kempiſianæ punctis, Amœnit. lit. Tomo VIII. inſerta, p. 416. ſq. Omnium vero prima et antiquiſſima haud dubie eſt, quæ A. 1468. Auguſtæ Vindel. ex ejusdem Guntheri

theri Zaineri officina in fol. prodiit, quamque ſuis vidiſſe oculis, ſuisque verſaſſe manibus pridem mihi Vir quidam doctus aſſeveravit, ſub ejus calcem hæc legi verba commemorans: *Impreſſum eſt hoc præſens Opuſculum in Auguſta per me Gintherum Zeiner de Reutlingen IIII. ydus Martii Anno LX. octavo.* De trita controverſia de vero hujus aurei opuſculi auctore allegavimus recentiſſimos in utramque partem ſcriptores Part. III. hujusce Sylloges p. 11. ſq. Alios indicavit Venerabilis mihique amiciſſimus Vir L. Jo. Henricus a SEELEN in Selectis literariis p. 526. ſq. ac literatiſſimus FRANCKIVS meus in præſtantiſſimo incomparabilis Bibliothecæ BVNAVIANÆ Catalogo, et quidem Tomi I. volumine II. p. 1648. ſq. quibus adjicio *Melange Critique de Litterature recueilli des Converſations de feu Monſ. Ancillon*, Tom. II. p. 322. ſqq. Hac autem occaſione viſum eſt, quædam ad hiſtoriam hujus certaminis ſpectantia, et hactenus minus nota, cum lectoribus meis communicare, quæ ad me olim perſcripſit eruditus quidam Monachus Ottoburanus, quocum, dum viveret, amicum mihi interceſſit literarum commercium. Ita autem ille:

Dudum eſt, ex quo literas tibi prolixiores debeo, cum hactenus fere ſteri-

les

les a me acceperis, non meo, ſed temporis defectu. Legi in operibus poſthumis MABILLONII, quæ his demum diebus in manus meas venerunt, Libro I. qui eſt Hiſtoria Concertationis de Autore L. de Imit. Chriſti pag. 24. hæc verba:

„Outre les anciennes Editions, que le „P. HESER Jeſuite ioint aux Mſſ. on „voit encore dans ce petit ouvrage une „nuée épaiſſe d' hommes illuſtres, qui „tous unanimement donnent l' Imit. a „Thomas. Il appelle cela le jugement des „Centumvirs. Un Abbé d' Ottobeuren „en Allemagne, avoit etabli auparavant „contre Thomas un autre Centumvirat, „qui n' auroit pas cedé en autorité a „celui du P. HESER. Il etoit composé „de 100. Mſſ. tous favorables à l' Abbé de „Verceil. La mort empecha D. GREGOI-„RE, c' eſt le nom de l' Abbé Allemand, „de donner ce recueil au public. Un Cha-„noine Regulier de Baviere, nommé Si-„mon WERLIN, ſachant qu' il y tra-„vailloit, le maltraita fort dans ſe *Nova* „*Vindiciæ Kempenſes*: mais ce livre, dit-„on, fut proſcrit par l' Archevêque de „Saltsbourg, et l' auteur obligé de ſe „retracter. Il reparut en 1649. Hæc „THUILLERIUS.

Jam mentem tuam convenio, mi Schelhorni; centum et unus anni ſunt, ex quo GREGORIUS REYBI fatis conceſſit, de literis Ottoburanis et Juvavienſibus, ſi quis alius, meritiſſimus: atque a tantillo temporis intervallo nulla memoria, nulla notitia, nullum veſtigium Operis Gregoriani. Volviſſe Gregorium ſaxum Anti-Kempenſe, vix ambigere ſinit innata Canonicis Regular. de Greg[illegible]io ſuſpicio, atque adeo infixa eorundem mentibus ſuſpicio, ut autorem eum operis *Valgraviani* proclamare non dubitarint, piisque ejus manibus inſultare. Ita enimvero ſupra memoratus F. Simon WERLINUS, Præpoſitus Dieſſenſis, contra quemdam, qui ſe F. Franc. VALGRAVIUM vocat, ad Præpoſitos Salisburg. Diœceſeos A. 1641. claſſicum cecinit:

„Nondum vobis excidit, obſervan„diſſimi Domini, annis abhinc 25. noſtro „THOMÆ KEMPENSI manum injectam „a Conſtantino CAJETANO, qui eum „[illegible]oram ſummo orbis Pontifice aurei li„belli de Imit. Chriſti antiqua et legitima „poſſeſſione dejicere tentavit, nulla aut „perparva rationum probabilitate, ſed „ſola fere inaniter ſtrepentium verborum „volubilitate: quam vindiciis Kempenſi„bus R. P. Herib. ROS-WEYDI ex„ploſam, cum ille opportuno religioſo-

que

„que ſilentio correxiſſet, extitit neſcio „quis in vicinia Bavariæ Occidentalis, qui „tacere ſibi et ſuis turpe arbitratus, a- „pologiam clanculum emiſit, elumbem „quidem illam, ſed contumeliis non in- „fœcundam. Agnoverunt ipſi cauſſæ con- „ſortes, eum nihil probaſſe. Dum au- „tem Marte Septemtrionali Germaniæ ſu- „perioris omnia miſcentur, bellum quo- „que Kempenſe recruduit. Agitur viris „et equis, ſubſidia convocantur: everſa „patria magnæ victoriæ inſtar habetur, „idque a viris profeſſione Religioſis, poſ- „ſe unum inermem atque innoxium cœ- „nobitam proſternere ac ſpoliare. Con- „ducitur Lavernæ ſacerdos, qui, ut im- „pune peccet, diſſimulat nomen et pa- „triam. Pariſiis clamat, ut in Germania „exaudiatur, et ex voce Germanus a- „gnoſcatur. Clamat injuriam, et ipſe „facit: clamat mortem, et cupit inferre. „etc.

„Novæ vindiciæ Kempenſes ex F. Si- „monis WERLINI *Philalethe* de antiqui- „tatibus ejusdem Ordinis. Dialogo VII.

„*Eriſtus.* Quantum ad me attinet, o- „mnium aliorum Canonicorum Regulari- „um inſtitutis mores præfero Patrum „Windeshemenſium, quos Patres etiam „illo nomine amo, quod præter alios „viros ſanctitate conſpicuos THOMAM

„a KEMPIS ediderunt. *Philalethes.* Illum „inquis Thomam,cui a neſcio quibus li- „bellus ille divinus invidetur, qui a „verbis Chriſti,unde exordium ſumit, *de* „*ejus Imitatione* inſcribitur. *Er.* recte mo- „nes. Equidem haud diu eſt, quod di- „ſputationem legi, qua huic libello lon- „ge diverſus auctor aſſignatur. ſed ecce, „quis pulſat digito fores? *Phil.* ingre- „dere. *Puer.* Domine Philalethes, Mela- „nius a *Bura Ottonis* foris ſtat, cupidus te „alloquendi. *Phil.* ingrediatur.

Dialogus VIII.

„An TH.KEMPENSIS ſit autor opuſc. „de Imit.Chriſti. *Melanius.* Avete Domi- „ni et fratres mei. *Phil.* Salvum te, fra- „ter, adveniſſe gaudemus. *Mel.* Niſi me „fallit conjectura, verſamini in ſeria col- „latione, quam nolo interrumpere. *Phil.* „De antiquitatibus noſtri Ordinis per a- „liquot jam dies contulimus inter nos, „et modo perveneramus ad THOMAM „KEMP. autorem optimi celeberrimique „libri de Imit. Chriſti. *Mel.* Is vero, pa- „ce veſtra dixerim, auctor non eſt li- „bri, quem Conſtantinus CAJETANUS „pridem vendicavit Jo. GERSEN, Abba- „ti Ordinis noſtri, i. e. S. Benedicti. *Phil.* „Atqui Herib. ROS-WEYDUS diſſolvit „omnia Conſtantini argumenta, adeo ut is

„is pudore obrutus defendere ſe non „auderet. *Mel.* Imo vero ſe defendit. „*Phil.* Defenſionis autor non fuit Con„ſtantinus Italus, ſed, uti pro certo in„tellexi, Lacorus Gleneſtius (quale mon„ſtrum ſub hac larva delitescit?) Ale„mannus mihi bene notus, qui nomen „ſuum Conſtantini nomine texit, nomi„na vero typographi et civitatis ejus „prima editione prodere plane erubuit: „erat enim et hæc et ille Κακόδοξος. „Porro apologia ipſa tam imbecillis viſa „eſt amicis auctoris, ut 20. annorum „meditationibus aliam parare, ac tandem „parere neceſſe habuerint. *Mel.* Eam i„pſam mecum habeo. *Phil.* Quod eſt no„men Auctoris? *Mel.* Franc. VALGRA„VIUS. *Phil.* Si nomen ſuum tenebris non „involvit, Suevum certe ſubodoror ac „civem tuum: noſti enim mecum, Roge„rium quondam Hegumenum (En Abba„tem Gregorium) tuum tempore Sue„dicæ vaſtationis Italiam, Galliam ac „Belgium percurrentem (ergone, inquam „ego, Gregorius noſter Galliam, Bel„gium et Italiam percurſitavit?) copias, „quantas potuit, contra humilem et qui„etum poſſeſſorem contraxiſſe; quas „morte præventus in aciem producere „non potuit. Producit igitur aliquis ſu-

 perſtes

„perſtes ejus contubernalis. Dic mihi „porro, ubi locorum ſit impreſſum no„vum commentum? *Mel.* Pariſiis. *Phil.* „Ita oportebat, propter illud Hiſpani„cum: *De luengas vias, luengas mentiras.* „*Mel.* Noli, quæſo, præpropere damnare „VALGRAVIUM: longe plus ponderis „habent ejus argumenta, quam tu arbitra„ris. *Phil.* Age igitur, audiamus. *Mela*„*nius &c.*

Soliciti pro fama defuncti Abbatis ſui optíme meriti, Monachi noſtri Ottoburani Pariſios ſcripſere, unde tale rediit Inſtrumentum:

„Ludovicus de Guyard Presb. Doctor „Theologus S. Sedis Apoſtolicæ Proto„not. Canonicus Præbendatus inſignis et „Metropol. Eccleſiæ B. M. V. Pariſ. Illu„ſtriſ. et Rev. in C. P. et DD. Jo. Franc. „de Gondy Dei et S. Sedis Apoſtolicæ „gratia Pariſ. Archiepiſcopi et in ſpiri„tualibus et tempor. Vicarius generalis, „univerſis et ſingulis præſentes literas „inſpecturis, lecturis et audituris Sal. in „Domino. Notum facimus, et pro veri„tate teſtamur, quod die data præſen„tium, inſtante et requirente venerabili „et Adm. R. P. F. Franc. VALGRAVIO „et de coram nobis et Notario publico Apo-

„Apoſtolico et Eccleſiaſtico Pariſiis ac „teſtibus infra nominatis perſonaliter „comparente eodem P. F. Franc. VAL- „GRAVIO , factoque et præſtito per „eum de veritate dicenda juramento ſu- „per SS. Dei Evangeliis, quæ corporali- „ter manu ſua tetigit, fecit, ſcripſit et „ſignavit declarationem ſequentem in „veritatis teſtimonium,et pro negotio in- „fra ſcripto, et ſub verbis et tenoribus „ſeqq.

„Ego F. Franc. VALGRAVIUS, na- „tione Anglus, Presbyter Monachus O. „S.B.Congregationis Cluniacenſ. S.Theo- „logiæ Doctor, humilis Prior clauſtralis „Prioratus Conventualis SS. Pet. et Pau- „li de Cella in Brya dicti Ord. S. B. „Meldenſ. Dioceſ. in Galliæ Regno, nec „non Emin. D.D. Cardin. Ducis de Ri- „chelieu, Paris Franciæ, et Abbatis ſeu „Adminiſtratoris perpetui Archimonaſte- „rii et Ordinis Cluniacenſ. in Anglia „ſeu majori Britannia in ſpiritualibus et „tempor. Vicarius generalis,die et A. in- „fra ſcriptis, 62. æt. meæ annum agens „hic Pariſiis perſonaliter conſtitutus co- „ram vobis Domino meo D. Ludovico „de Guyard Vicario Gen. præfato,ac præ- „dicto Notario publico Apoſtolico et „Eccl. Pariſiis, aliisque probis et hone-

 ſtis

„ſtis perſonis ſubſignatis , qui me 30. „abhinc annis et paulò minus noverunt, „hortatu et rogatu quorundam Vene- „rab. et Reverendorum Patrum O. N. in „Germania ſuperiori degentium, per hoc „publicum Inſtrumentum declaro, profi- „teor et affirmo, me Anno D. 1638. Pa- „riſiis apud Sebaſtianum Huré via Jacobea „ſub ſigno cordis boni curaviſſe, ut ede- „retur libellus de Imit. C. cum hac in- „ſcriptione: *Jo. Gerſen Abb. Vercell. Italo-* „*Benedictini de Imit. C. Libri 4.* a nonnullis „olim Jo. Gerſon, ab aliis nuper Tho- „mæ a Kempis falſo tributi, ex dena „nunc Mſſ. fide Auctori ſuo vindicati ac „priſtinæ integritati reſtituti, cum ani- „madverſionibus apologeticis F. Franc. „VALGRAVII Anglo-Benedictini ad ti- „tulum et textum, in quorum fidem „hanc meam declarationem ſubſignavi „Pariſ. die 21. Menſ. Jul. Redempt. no- „ſtræ A. 1642.

F. Franc. VALGRAVIUS

De Guyard

T. *Gallot.*

F. Claudius *de la Haye* Facultatis Pariſ. Doctor Theologus, Monaſterii novi Diœceſ. Pictavienſ. Prior Clauſtralis, nec non Regis Chriſtia-

Locus ſigilli.

ſtianiſſimi Sereniſſimæque ejus Sponſæ Conſiliarius et Prædicator.

Je ſoubſigné Marchand libraire a Paris demeuranten rue S. Jaque aux cicognes certifie ce que deſſus eſtre veritable faict ce dernier Juillet mil Six cent guarante deux.

Gabriel Cramoiſy.

Impetrato hoc Inſtrumento, Salisburgum conqueſtum ivere noſtri Patres, Revocationemque a Præpoſitis Canonicorum Regul. coram Archiepiſcopo Juvav. facili negotio obtinuerunt. Deſcribenda mihi a Priore noſtro oblata fuit copia Revocationis, quam, cum gratam tibi fore exiſtimem, hic accipis.

Formula
Deprecationis factæ a Domino Præpoſito Garſenſi Salisburgi in pleno Conſiſtorio.

Ego Petrus Præpoſitus Garſenſis Ordinis S. Auguſtini Canon. Regularium hiſce fateor, libellum de Imitatione Chriſti, cum novis vindiciis Kempenſibus, et cum præfixa dedicatione Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Archiepiſcopo et Principi Salisburgenſi etc. Domino et Ordinario meo Clementiſſimo, tum

meo, tum aliorum Præpoſitorum, videlicet Chiemenſis, Baumburgenſis, S. Zenonis, Auenſis, et Heglwertenſis, nominibus inſcripta, Auctore quidem ſeu Scriptore P. Simone (t) Præpoſito Dieſſenſi, me tamen Promotore typis editum, in lucem prodiiſſe, et ad hoc nullius dictorum Præpoſitorum conſenſum expreſſum a me prius petitum, ſed ſolummodo præſumptum fuiſſe, nedum acceſſiſſe. Quia vero hoc meum factum, bono (ut opinabar) zelo, ſed immaturo, uti (re melius ponderata) jam cum dolore video, accidit, et exinde a nonnullis ex Ordine S. Benedicti, ob ſcommata, convitia, et injurias inibi contentas, a me tamen in rei veritate antehac non perpenſas, non immerito querelæ moventur, et inde occaſiones et ſemina diſcordiarum inter duos antiquiſſimos et celeberrimos SS. Auguſtini et Benedicti Ordines, nec minus apud alios ſcandala oriri poſſunt, idcirco ne inſontes huic negocio involvantur, inprimis prædictos Præpoſitos hac in parte excuſo, et excuſatos haberi ab omnibus volo, deinde etiam ab omnibus et ſingulis, qui dicto

(t) Werlino ſcilicet.

cto libello ſeu tractatu offenſi ſunt, aut offendi potuerunt, humiliter in Chriſto veniam rogo, conteſtans, quod peccatum eſt in hac re, a me peccatum eſſe, non ex odio aut malevolentia, aut animo injuriandi, ſed ex animi fragilitate et zelo minus recto et diſcreto, qui mihi et nullo modo Ordini Canonicorum Regularium S. Auguſtini imputari poſſit, aut debeat, multo minus eidem ordini ex hac mea deprecatione fraterna aliquod præjudicium generari. Quemadmodum vero hanc veniam fraterne rogo, ſic fraterne concedendam mihi ſpero, ſimulque ſincere opto, ut deinceps pax, concordia, et charitas inter præfatos duos ordines vigeant, creſcant, et nunquam deficiant.

Hactenus Formula.

Eſt penes me liber de Imit. Chriſti ex recenſione CAJETANI, cum hujusdem defenſione pro hoc ipſo (Gerſene ſcil.) librorum Autore, impreſſ. Romæ 1616. Eum Gregorio ipſemet Conſtantinus donavit, ut hæc ſubſcriptio teſtatur:

Reverendiſſimo in Chriſto P. ac Domino Gregorio Abbati Ottenburenſi *Vindex Libri.*

Hæc de lite Kempenſi occaſione loci Thuilleriani. THUILLERIUM ſecutum eſſe ſuſpicor Thomam ERHARDUM, qui in Polycrate ſuo Gerſenenſi pag. 19. ita ſcri-

ſcribit: *quoties autem Kempenſis præſcriptio interrupta fuit? Interrupit e noſtris Cajetanus, e PP. Soc. Jeſu Bellarminus, e Cardinalibus Joſ. Saënz, e priſcis Roſignolius, e modernis Cerſius, in Italia Valſechius, in Gallia Thullerius, in Germania Gregorius Ottoburanus.* At ubi quæſo?

CXCIX.

J. H. MAJUS.

Violenta morte apud Athenienſes perituris, tria verba ante deductionem in locum ſupplicii dicere permittebatur: tu mihi valde ægrotanti tria ſcribere concedes. Primum eſto; accepiſſe me per matrem libros abs te, amice optime, partim donatos, partim ad legendum miſſos; gratiarum vero actionem differre juſſit febris quædam catarrhalis, cum qua fere per octiduum pugno. Deinde pleroſque me donatorum librorum habere, ſi tres excipias, indico. Denique W. Argentorato rediiſſe nuncio; is non Colomeſii, ſed Sorelli bibliothecam abs te mutuam accepiſſe ait, quam in

in ædes meas ſe miſſurum promiſit, nondum præſtitit. Num itaque Colomeſii nihilominus bibliothecam nomine tuo ei offerre debeam, velim ſignifices. Plura nequeo; nimium enim debilis ſum et animo et corpore. Tu utroque melius vale, et me ama. Septimo Idus Junias MDCCXV.

Quam primum ex morbo convaluero, prolixiores ad te, mi VFFENBACHI, dabo; nunc brevitatem meam benigne feres.

CC.

JO. HENR. MAJO, F.

Die Martis ad Tuas ſeptimo Idus Jun. datas jam reſpondiſſem, niſi maxima novorum librorum moles aliaque obſtitiſſent negotia. Licet enim breviuſculæ fuerint illæ, hac ipſa tamen brevitate ſua, quam moleſta diraque febris Tibi impoſuit, ampliſſimam ſcribendi querendique materiam dediſſent. Dicere enim

nim ſatis nequeo, quantopere moroſus hoſpes ille Tuus me affligat. Cur non lacertoſum, vino madens, vel luxu diffluens potius corpus, vel vacuum cerebro caput invaſit, quam pulchræ animæ Tuæ officinam hoſpitiumque turbaret? Aſt ſpes mihi eſt, niſi jamjam tenerum reliquerit corpuſculum Tuum, Te brevi invaſorem ſuperaturum atque eliminaturum, fractasque vires divina affulgente gratia, quod animitus precor, recollecturum. Interim incommodorum malorumque, quæ Te, o altera pars mei, pertuliſſe coniicio, atque etiamnum ſentire metuo, cogitatio me noctes diesque excruciat, æque ac ſi ipſe ſufferrem. Cura igitur, amice dilectiſſime, ut valeas, meque omni ſolicitudine liberes. Plures Te jamjam poſſediſſe libros, quos Tibi transmiſeram, male me habet. Duos in illorum locum Magnifico Parenti, quem heri ſalvum et incolumem, quod lætor, revidi, una cum Megiſero tradidi, quos interim boni conſules, uſque dum fortuna meliora ſuppeditet. Alterum, quod habuiſti *, mancum Megiſeri exemplum cum cæteris libellis a chariſſima matre Tua recepi. Miror Tuam in reſtituendo promtitudinem, quam in Te, ægrotante inprimis, minime exegiſſem, in aliis vero quam maxime deſidero. Rogarem Te,

Te, ut Dn. Webero aurem vellicares, qui libros quosdam jam diu detinet, ſed nolo Tibi jam moleſtus eſſe. Dno. W. Colomeſium, ſi de illo jam dixiſti, utique dabis, ſin minus, pro lubitu facies. Vereor, ne ſolita prolixitas mea Te jam offendere poſſit, filum igitur abrumpo, Teque valere iterum atque iterum jubeo. Scribebam d. 15. Junii. 1715.

CCI.

JO. HENR. MAJVS FIL.

Tanta eſt humanitatis amorisque tui erga me vehementia, ut infirmo quamvis et languenti, cum febrique adhuc luctanti, vires tamen ſuppeditaverit ad hoc quidquid eſt litterarum exarandum. Reſponſum debeo ad binas tuas, mi VFFENBACHI, epiſtolas; paro etiam ad utramque reſponſorias, neſcio, an abſolvere poſſim. Adeo enim debilis viribus fractusque ſum, ut, quæ extra lectum peragi debent, præſtare vix queam. Langio per amicum nunciavi, quæ eum ſcire

ſcire volueras. De Nepotis MS. ætate, ad Theodoſianum ævum pertinentis, fidem adhibere, nunquam potui viro optimo; quin potius, ut verum fatear, a ſuavi riſu me non abſtinui. Vidimus tamen ſæpe, virum, judicio non carentem, extra ſphæram rapi. Mihi nunc in memoriam venit illud, neſcio cujus: *Crede mihi, ſapere eſt, non nimium ſapere.* Italicum a patre allatum codicem tibi, amicorum optime, non ingratum fuiſſe, equidem libens intellexi; maloque ille inter tuos libros habeat locum, quam hereditatis olim titulo ad me devolvatur. Lexicon *Aruch* alias etiam vocatur Lexicon Talmudicum Rabbi Nathan. Vide recentiſſimam WOLFII bibliothecam Ebraeam pag. 921. num. 1727. Conſpexi illud meis oculis in bibliotheca tua, vir amiciſſime, ex Rhenferdianis, ni fallor, libris coemtum. Vidi profecto, at num duplici exemplo, non ſatis recordor. Supergreſſus es ſpem deſideriumque meum in enotando Stephani de Vrbibus loco, habeoque tibi eo nomine gratias maximas. Clerici bibliothecæ antiquæ et novæ tomum priorem retinui; ita enim fieri volebas, ſi bene memini; ſin, ſubmittam illum prima quavis occaſione. MASSONII hiſtoria Critica impenſe me delectavit, vellemque nonmodo ſubſecu-

cuturas, ſed et antecedentes partes perluſtrare, non tamen prius, quam ſanitati ex integro reſtitutus, neceſſariorumque, quæ nunc accumulantur, negotiorum mole liberatus fuero. Profuit hæc infirmitas mea eo, ut intra aliquot dies Maſſonium Clericumque perlegere valuerim. Decreveram quoque ſerio ante morbum meum, Bileamum noſtrum ad te remittere, ut hoſpitem auritum per feſtos dies, nunc a tergo poſitos, tecum haberes; ſed impoſſibile mihi erat, ſchedas ſingulis codicibus præfigendas exarare. Itaque quamprimum melius me habere cœpero, et Ebraicos illos homines (ſi duos vel tres, nimium corruptos et difficiles, eoque nondum accurate a me conſideratos, exceperis) una cum cæteris Græcis Latiniſque auctoribus ad te, amice ſuaviſſime, ablegabo. Hickeſii theſaurum, Platonemque elegantiſſimum, Thomæ Kempenſis editionem rariſſimam, et codices præterea aliquos MS. Rabinicos ad te veniſſe, non minore gaudio legi, quam tu ſcriptores illos in bibliothecam tuam intuliſti. Fiet, ſpero, etiam te non multum laborante, ut centuriam impleamus MSS. Attulit pater ſecum WOLFII paulo ante memoratam bibliothecam, utriuſque noſtrum nomen paſſim oſtendentem. Debeo hunc fructum

amicitiæ tuæ, quod per te, perque aſinum noſtrum communem (u) innotuerim viris quibusdam eruditis, quibus dum operam meam, quam tuis MSS. impendo, non ingratam eſſe intelligo, majori fervore opus adgrediendum mihi eſſe ſentio, modo voluntati reſponderet valetudinis ratio. Neſcio, quid WOLFIO noſtro in animo fuerit, quum te in præfat. pag. 17. *Andream* ſalutat, in aliis vero locis legitimo nomine compellat. Venio ad poſteriorem tuam epiſtolam, qua dolorem teſtaris, mihique meliora optas. Ago tibi gratias, mi VFFENBACHI, eaſque eo majores, quo ſinceriorem cognoſco tuum eſſe erga me adfectum, quem nec proſpera mutare poteſt nec adverſa valetudo. Nollem vero, te mei cauſſa ſollicitum eſſe, ſed id potius tecum reputare, morbum, in quem nunc implicitus ſum, primum lethalem non eſſe, tum et, ubi diſpulſus fuerit, hominem efficere quam maxime ſanum; id quod et mihi, ſpero, continget. Matrem meam attuliſſe libros, gaudeo. Tu vero non

(u) Ciſtam, libris Rabbinicis aliisque ultro citroque ferendis deſtinatam, hoc nomine inſignire MAJVM, quilibet, me vel non monente, facile intelligit.

non male interpretaberis, quod nonnullos, quos jam poſſedi, remiſerim. Tibi enim, quum permutandi cum aliis ſemper et facultas ſit, et occaſio, magis illi erunt utiles, quam ſi hic apud me jacerent auctores, quorum amore aut nemo in hac urbe tenetur, aut vix duo, et hi quidem donari ſibi mallent, quam æquivalens reddere. D. WEBERVM de reſtituendis libris, ſimulac copia cum eo colloquendi dabitur, monebo, et ea quidem ratione, ut exhibitionem differre amplius nequeat. W. jam de Colomeſio aliquid dixi, quem ei, ſi abs te adprobatum iri denuo cognovero, reddam, nolo enim de alienis eſſe liberalis, cum poſſeſſoris detrimento. Polemonis, Himerii, aliorumque declamationes per patrem accepi, quæ eo ſunt mihi jucundiores, quo et rariores et præſtantiores. Accepi et ſcriptores fabularum Græcos Latinoſque, cum quibus quid agendum mihi, ex te ſcire deſidero; neque enim eorum in litteris tuis meminiſti. Diodoro Siculo inſerta eſt Jac. Gronovii de Pallacopa epiſtola, et decreta pro Judæis ex Joſepho; quod tibi indicandum cenſui, quia incertum, ſitne ſtudio utrumque opuſculum in hoc libro repoſitum, an vero caſu, et te etiam plane inſcio. Ad ipſum Diodorum quod

 atti-

attinet, notæ MSS. a viro, quod ais, illuſtri profectæ ſunt, certe a Græce doctiſſimo. Rerum, ut video, et hiſtoriarum non adeo magnam gerit curam; at phraſium vocumque rariorum ſedulus ſcrutator, in margine aliorum auctorum optimorum, ſimiliter loquentium, ſignavit loca, quod mihi conferenti nonnulla vocabula, ſchedis meis inſcripta, cum his ipſis oppido doctis adnotationibus, patuit. Veriſimile fit, poſſeſſorem ſibi propoſuiſſe edere ſcriptorem illum Græcum elegantiſſimum, eo quod et parallela loca diligenter adnotavit, et omnem in eo poſuit induſtriam, ut quam limatiſſimum maximeque cognitum ſibi redderet Diodorum. Erit olim hæc editio tua, mi VFFENBACHI, perquam utilis ei, qui novam Siculi parabit, qua omnino egemus. Eſtne tibi PASSERATII libellus de cognatione et permutatione litterarum, quem a Colomeſio et Joſ. Scaligero impenſe laudatum (x) depre-

(x) vid. COLOMESII *Bibliotheque Choiſie*, p. 414. ſq. Operum ejus, a b. D. J. A. FABRICIO Hamburgi A. 1709. in 4. junctim editorum, et MAJI noſtri Specimen linguæ Punicæ, in hodierna Melitenſium ſuperſtitis, p. 19. ſq.

prehendi, ſed et rariſſimum eſſe didici, utpote nec Clerico, nec Excellentiſſimo Crenio, aliiſque viſum. Eſſet hic liber ſtudiis meis amplificandis accommodatiſſimus, quem ſi quidem habes, nuncia quæſo. De tempore, quo expetiturus perlecturusque eum ſum, alibi dicam; requiret enim ea lectio non ſtupidum nec ignavum, qualis nunc ſum, vel cogor eſſe. Namque invitum a libris me abſtrahi patior, multosque per id tempus, quo lecto adfixus hæſi, legi libros, Clerici nimirum bibliothecam, Maſſonii Hiſt. Criticam, Wolffii biblioth. Ebraeam, Crenii Analecta, fasciculum quartum collectionis librorum rariorum, Gabriam, Avienum, Abſtemium, et hos quidem a capite ad calcem, ſola bibliotheca Wolfiana excepta. Nunc in prolixiſſima illa SALMASII, de cæſarie virorum et mulierum coma, epiſtola verſor, quam intra paucos dies abſolvam. Eſt enim mihi otium plane adverſum, maloque mortem oppetere, quam vitam ſocordia tranſigere. Sed jam Salmaſianam epiſtolam imitari velle videor, quia liberius calamum currere permitto, quam aut mihi ſcribenti conducit, aut tibi lecturo volupe erit. Scripſi autem non uno die has litteras, ſed duobus; non quod Paul. MANVTIVM ſequi, elegantiaſque

quærere, longe a me remotas, decreverim, utpote quem vel hebdomada dierum uni impendiſſe epiſtolæ didicimus, ſed quod ita imbecillitas noſtra juſſerit. Tu, vir optime idemque amiciſſime, vale et me ama. Gieſſa, XVI. et XV. ante KL. Julias. MDCCXV.

CCII.

JO. HENR. MAJO FIL.

Exſultavi gaudio, dum poſtremarum Tuarum fracto ſigillo prolixitatem perſpicerem. Priſtinæ enim Te ſanitati reſtitutum lætabundus perſuadebam mihi. Aſt perlegenti ſpes illico decollavit, gaudiumque diminutum fuit, cum ſolius amoris erga me Tui magnitudinem, deficientibus etiamnum viribus, tantam verborum copiam Tibi expreſſiſſe cognoverim. Quod cum non ſine moleſtia fieri potuerit, dolui, quod nervos viresque fractas intenderis, nec potius debilitatis Tuæ rationem habueris. Miror autem,

autem, ac quam maxime deploro morbi Tui vehementiam, quem licet lethalem (abſint enim a me tam triſtes de Te, amice dulciſſime, cogitationes) minime crediderim, non parum tamen affecit Tui amantiſſimum, mecumque reputantem, quam gravis Tibi omnino fuerit. Jam vero omnia mala atque incommoda evaſiſſe, atque Phœnicis inſtar reviviſcere Te, lætus auguror, animitusque precor, ut nullius iterum morbi ad aquilæ uſque ſenectam patiaris acceſſionem. Paternum Codicem jucundiſſimum mihi fuiſſe libens, uti ſcribis, intellexiſti, nunc vero ex Te percipere aveo, num Irenæus Magnif. Domino Parenti quoque ſatisfecerit. Cum enim ob temporis anguſtiam nec perluſtrare, nec mentem ſuam explicare potuerit, dubius hæreo, num permutationem hanc rati habere volupe ſit. Sin minus, recepto Irenæo, de alio æquius valente cogitabo, vel, quodcunque juſſerit, illi adhuc addam. R. NATHAN Lexicon ſi ſemel apud me vidiſti, revidebis certiſſime, Tibique habebis. Facile enim, Tui inprimis cauſa, Lexico carere potero, cujus linguam ne legere quidem novi, atque utinam legere poſſim, eo citius haberes illud. Incidi nuper in librum *Sapientia Manoæ* dictum, qui e RHENFERDII libris mihi ceſſit.

Cogitabam, an forſan hic ille liber ſit, quem tu deſideras: nam nec Rabbinicum illud, de quo ſcribis, nomen in Catalogo meo apparet. Neceſſe eſt igitur, illum inter libros latere Ebraicos, quos nondum, idoneo deſtitutus interprete, in indicem retuli. Maſſonii Hiſtoriæ Criticæ priores Tomi ad nutum oculis Tuis Te ſiſtent; PASSERATII elegantem utique atque rariorem libellum Fratribus Tuis data occaſione ad Te perferendum dedi. Bileamiticum noſtrum auribus ac pedibus orbum animal eo libentius ſalutaſſem, ne de mea, ſi ſermo illi velut prophetico eſſet, abſentia conqueri neceſſe habeat. Futuro enim Jovis die, propitio non illo idolo, ſed Deo Opt. Max. ad acidulas Swalbacenſes pro more excurrendum mihi eſt. Sed ſabbathica fruatur quiete, tardum ſua natura animal, non quidem ſui ipſius cauſa, ſed Tui. Nollem enim, ut novos Tibi inferat codices, antequam omnem exueris ægritudinem. Indulgendum valetudini, atque in hanc omnis jam diligentia Tibi conferenda, licet ob ſolitam Tibi ſtrenuam aſſiduitatem maximo Tui incommodo fiet, quod aliis ſummum utique bonum videtur. Licet igitur libros remiſiſſes, nullos tamen in locum illorum dediſſem, ne Tuæ, jam maxime ſanitati

no-

nocivæ, induſtriæ calcar addidiſſem. Id jam, niſi indulgendum Tibi foret, caſtigationem meruiſſet, quod tot libellos infirmo deficienteque ſtomacho devoraveris, adeo ut vix mihi temperem, quin Te ridiculo (quo tamen multi ſerio uſi, monſtra eruditionis monſtroſe denotarunt) nomine ſalutem, helluonemque librorum vocem. Ab omni lectione abſtinendum Tibi fuiſſet, ac etiamnum eſt. Aſſidentem lectorem, non ſeria tamen, audire debuiſſes. Sed hæc ad tempus fallendum haud ſufficere, nuperrimus, qui me vexavit, morbus docuit, inertiamque ac otium gravius ipſo morbo malum eſſe. Ne Te igitur otioſum plane relinquam, hoc unicum Tibi ne grave accidat injungo, ut loca Bibliothecæ Wolfianæ, quibus codicum meorum mentio fit, annotare mihi velis. Mihi enim illa operoſe ac non ſine tædio inveſtiganda forent, quæ Tibi obvia exiſtimo. Donavit me exemplo optimus WOLFIUS, quod bibliopego illico dedi, nec dum recepi. Nil igitur præter præfationem inſpicere licuit, ubi nominis mei mutatio ſtomachum pulmonesque movit. Nomina enim in *as* deſinentia velut obſoleta adeo mihi exoſa fuere, ut cum Zachariæ inderetur, minime illud ex Evangelio, ſi potuiſſem, exclamaſſem, nomenque *Hans*,

Tibi cum tertia humani generis parte commune, lubentiſſime recepiſſem, ſed unico contentus prius illud prænomen plane abjeciſſem, niſi multis piaculum id, me vero ludibrium non paucis fore metuiſſem. Facile igitur reputabis, quam pulchrum mihi videatur, Zacharias Andreas dicier. Euphoniæ gratia typothetam tam bella conjunxiſſe nomina, optimo viro WOLFIO non animadvertente, exiſtimo. W. exiguum Colomeſii libellum utique dare poteris. Fabulas binaque a Gronovio edita ſcripta ideo ſilentio nuper præterii, cum neque munus, neque munuſculum, cum nihili ſint, dicere quiverim. Putaram quoque me jam olim monuiſſe, Te omnia, quæ ultro, nec a Te deſiderata mitto, pro Tibi conceſſis reputare debere. Diodorum meum Siculum, ſeu potius notas adſcriptas placuiſſe Tibi, impenſe gaudeo; ſimiles enim in pleroſque Græciæ ſcriptores potero adipiſci. Nominabo nunc Tibi inluſtrem vere earum autorem. Eſt is Regis Poloniæ Miniſter, heic loci, ut loquuntur, Reſidens, Dn. Jo. Guilielmus de STEINHEIL (y), vir mihi

---

(y) Illuſtris hujus Viri, A. 1735. mortalium

mihi amiciſſimus. Bonæ frugis diſcipulus fuit Celeberrimi Critici Argentinenſis, Andr. (z) KUHNII. Mirandum vero, virum, tam alto in loco poſitum, numeroſiſſimaque familia oneratum, deliciis hiſce etiamnum capi, quas ſui ordinis homines faſtidire, ac non niſi altum ſapere ſolent. Lucianum in oculis fert, atque in numerato habet, innumerisque ornat annotationibus, imo, quidquid a Græca nobis ſupereſt antiquitate, manu verſat, omneque, quod a publicis negotiis vacat, otium illis impendit. Cum autoris vices in ſe recipere nequeat, inſignisque humanitatis ſit, nullus dubito, quin omnes libros ſuos conceſſurus, omniaque, quæ illis docta manu ſua addidit, in noſtros, imo publicos uſus deſcribi facillime paſſurus ſit. Quæ nuper de Puni-

---

um rebus exemti, elogium vid. in B. Jo. Chriſtoph. WOLFII, Viri, dum viveret, mihi amiciſſimi, Conſpectu Supellectilis epiſtolicæ et literariæ manu exaratæ, quæ apud eum exſtabat, p. 203. ſq. ubi illum accenſet viris, quos non puduit, contemtas fere ſcholæ elegantias cum ampliſſimorum munerum ſplendore conjungere.

(z) vel potius Joachimi.

Punicis offenderim, in appoſito leges folio. Si ea, quæ e SPANHEMII indice notata ſunt, Tibi prodeſſe poſſunt, deſcribi lubentiſſime faciam. Nunc de noviter acquiſitis dicendum mihi pro more eſt. Codicem Ebraicum altera deſignat ſchedula. Turcicos etiam quosdam codices egregios in bibliothecam meam intuli, qui multo jucundiores mihi forent, ſi adhuc viveret, interque nos verſaretur ENEMANNVS, eheu! quondam noſter, ut in iis enodandis Oedipum agere poſſet (a). Præterea nitidiſſimum Maronis Codicem membranaceum cum Corpore Juris Juſtinianeo commutando mei juris feci. Nactus quoque ſum veteres aliquot tabulas cereas, quibus Græci atque Latini, immo majores etiam noſtri, antequam tanta chartæ copia eſſet, uſi ſunt. Vellem epiſtolam quandam

---

(a) De viro hoc eximio præter ea, quæ dicta ſunt Part. II. p. 379. 383. 386. et Part. IV. p. 285. ſqq. hujus Collectionis, conf. Theſauri epiſtolici La Croziani, quem Cel. Jo. Lud. UHLIUS evulgavit, Tom. II. p. 66. ac *Lettres de Critique, d'Hiſtoire, de Litterature, ecrites par Monſ. Gisbert* CUPER, p. 337. 339.

dam Ciceronis continerent tabulæ iſtæ, quales Argentoratenſes in ærario ſuo, ſit fides penes illos, oſtentant, quasque me olim vidiſſe memini! licet autem res nullius momenti hæ meæ contineant, ad demonſtrandum tamen moleſtum operoſumque veterum ſcribendi modum utiles eſſe poterunt (b). Nunc longum, ut Virgilii verbo utar, Tibi Vale dicendum erit. Ad Nymphas enim Swalbacenſes, ut jam ſupra innui, iter meditor, quas cum ideo, ut a ſedentaria vita plane ceſſem, ſingulis annis viſitare ſoleo, illæque ſeria omnia vitent, atque ad obeunda ineptos reddere ſoleant, non ægre feres, ſi aliquandiu, utpote aquis vivens, mutus ero, velut piſcis. Iniquus

(b) In Bibliotheca Thorunienſi aſſervari duas tabulas cereas, Ciceronis epiſtolas aliquot complectentes, fuere, qui aſſererent. Petrus autem JÆNICHIUS in Notitia illius bibliothecæ, Ienæ A. 1723. edita, p. 39. ex ipſa αὐτοψίᾳ judicavit, eſſe libros cenſuum publicorum, in quibus nomina eorum conſignata, qui tributa pendere Cruciferorum tempore debuerunt, atque ita reliquias ſæculi XIII. aut XIV.

quus forem, ſi a Te literas nihilominus exigerem, quanquam dulciſſimæ mihi forent, atque trochiſcorum inſtar, quibus acidularum potatores uti ſolent. Ad has tamen reſponſor*i*as, modo corporis, quod ſpero, vires concedant, non denegabis. Vale, meique licet non compellantis memor vive, perſuaſiſſimumque Tibi habe, nec ſecuræ pocula lethes, nec ſtygias etiam aquas, multo minus Swalbacenſes, amoris in Te mei ardorem reſtinguere, nedum exſtinguere poſſe. Vale iterum atque iterum. Scribebam d. 22. Jun. 1715.

P. S. PASSERATII libello alium addidi non minus rarum, Tibique non minus jucundum, Henrici ſcilicet STEPHANI de linguæ Gallicæ cum Græca conſonantia. Vidiſtine novum WAKII commentum (c), linguam Germanicam maximam partem originem ex Celtica ſeu Chal-

(c) En tibi libri titulum: Jo. Conr. WAKII *Anzeigung, wie die uralte Teutſche Sprache meiſtentheils ihren Urſprung aus dem Celtiſchen oder Chaldäiſchen habe, und das Beyeriſche vom Syriſchen herkomme. Regenſpurg, 1713. in 8.*

Chaldaica, Bajoaricam vero ex Syriaca trahere? Tuum de hoc, ſi perſpexeris, judicium expeterem, ſin minus, ad perluſtrandum, ſi aves, darem. Habesne Jamblichum de vita Pythagorica ex editione KUSTERI? Ni jam poſſideas, compotem Te illius faciam. Iterum vale.

CCIII.

JO. HENR. MAJVS FIL.

Tandem reliqui malam manſionem ægrotorum, corporisque non minus, quam crumenæ purgatorium, infelicem illum lectum, cui vacare invitus debui. Recens quaſi in lucem hanc editus videor, greſſusque puerilibus non majores facere cogit ſuperſtes malignitas, cujus tanta adhuc vis eſt, ut vires recipere priſtinas nondum poſſim. Ad tuas primum me confero litteras, ſemper quidem jucundas, tum vero longe jucundiſſimas, quum me ſolum, lecto adfixum, offenderent, ideoque illas, quamvis bene longas,

gas, longiores tamen feci, ſæpius legendo. Non minus patri Irenæus placuit, quam tibi, amicorum princeps, codex ab eo allatus. Neque adeo permutationem Mathematicorum more ad puncta quævis minutiſſima metitur, ut poſtulata ſimul, nonnunquam iniquiora, adiiciat; certus te, ſi quid forſan deeſſe adhuc tibi videatur (nam ipſi quidem ſatisfacit Irenæus) alio olim libro vel theologico, vel ad hiſtoriam eccleſiaſticam faciente, et bis tibi oblato, ultro ſuppleturum. Lexicon Aruch, ſi tibi eſt, nolim fieri meum, cum damno tuo; nam et ego facile carere illo poſſum, quum præſtantiora inde ſuo Lexico Talmudico intulerit BVXTORFIUS. H. STEPHANI et PASSERATII libellos heri per fratres accepi. De poſteriore veriſſimum eſſe Joſ. SCALIGERI (d), judicium, reapſe didi-

(d) Huic plane contrarium et mordaciſſimum eſt de PASSERATIO judicium, quod legitur in Scaligeranis ſecundis p. 493. ſq. edit. Amſterod. A. 1740. PASSERAT *eſtoit fort ignorant; vix octo legerat libros; bene inſtituebat juventutem, duo verba Latine ſciebat, omnes reprehendebat, non erat tantus, quantus habebatur. Tri-*

didici. *Accepi*, inquit Lib. IV. epiſt. 348. *PASSERATII libellum, magis nobis utilem, quam auctori glorioſum. Rari erunt, qui eo ſciunt uti. Nos, quanti ſit, ex eo æſtimare poſſumus, quod paucorum hominum eſt, et plures habebit, qui non capiant, quam qui eo capiantur. Ego ſane in cenſum bonorum eum dedico.* Hæc ille. Nec minoris facio STEPHANI libellum, quem opportune comitem PASSERATIO dediſti, nunquam antea viſum, nunc autem cum induſtria perlegendum. Non eſſet difficile idem in lingua Germanica præſtare, quod ille in Gallica, recordorque viros doctos convenientiam vernaculæ noſtræ cum Græca ſparſim indicaſſe, ex inſtituto neminem. Codices tui Ebraici in eodem adhuc ſtatu verſantur, ne inſpecti quidem a me ſunt poſt morbum ſuperatum. Metuebam

---

Tricaſſinus erat, bonus Pedanus ad inſtituendam juventutem. Quanquam SCALIGER in hoc etiam, ſi reapſe ita judicavit, ſibimetipſi non conſtet. Contra facile nobis foret, valde honorifica de PASSERATIO judicia, Sammarthani, Caſauboni, Thuani, Niceronii, aliorumque recitare, ſi hoc ageremus.

bam enim, homines ætate graves et mole ſua moleſtos non exiguam mihi creaturos moleſtiam, ſi quidem ad illos acceſſero capite non ſatis purgato, et pectore non rite præparato. Accedit, quod te facilem deprehenderim ſemper, neque moroſum rerum propriarum exactorem, quarum mihi uſum concedis libentiſſime. Bibliotheca WOLFII ad manus nunc haud eſt; accepiſſes alioquin locorum indicem, in queis nomen tuum comparet. Dedi illam bibliopego, nondum recepi. Id vero indicare poſſum, rarius mentionem fieri MSS. tuorum, a me fideliter conſignatorum, quam par erat; quum tamen, ſi quando in Edzardiana aut alia bibliotheca MS. exſtat liber, id perpetuo commemoretur WOLFIO. Forte ſupplementa, quæ promiſit, hunc defectum tollent. Quam vero injucundum tibi, vir amiciſſime, fuerit, Andreæ nomen, vel ex eo intellexi, quod tam alte in ſtomachum ſeſe tuum memoriamque et cogitationem interiorem ingeſſerit, ut, quum Joachimum KUHNIUM nominare volueris, illuſtris STEINHEILII præceptorem, Andream omnino dixeris. Lucianum ſi ad deſcribendas notas nanciſci ab eodem viro inſigni poſſes, hunc præ ceteris ut eligeres, ſuaderem; non quod ego haud

minori

minori amore erga ſcriptorem et eruditiſſimum et ſuaviſſimum, quam STEINHEILIUS feratur, ſed quod præſtantia ejus operumque dignitas id mereatur. Hunc enim auctorem antiqua eruditione refertiſſimum eſſe, et ad imitandi exemplar a poſteris ſumtum, conſtat. Quæ de Phœniciis in ſingulari ſcheda adnotari juſſiſti, utique acceptiſſima ſunt, inprimis, quæ ex Feſto. Quæ SPANHEMIUS de Punica L. ab Arabica diverſa, pag. 78. et de eadem lingua ab Afris aliquantum commutata, ibidem differit, legere geſtio. Poſt reditum itaque tuum amanuenſis hæc in uſus meos excerpere poterit. Poſthac vero nolim te diutius de meis Poenis ſollicitum eſſe, quia nec ipſe id facio. Video enim pleraque omnia a viris doctrina et ingenio excellentibus animadverſa jam eſſe, ſic, ut ipſe nil de illis ſcripturus eſſem, niſi urgeret inſtituti mei ratio, quod eo tendit, rudera ejusdem linguæ exſtare etiamnum in Melitenſium hodierna, neque adeo totam illam, quæ fere omnium eſt opinio, ſepultam eſſe. Si quid vero, ſive ad linguam, ſive ad hiſtoriam Melitenſem ſpectans, communicare mecum ulterius poſſes, magno me beneficio tibi redderes obſtrictum. WACKII libellum, quem deſignas, nondum conſpexi,

ſpexi, vereor, ne virum bonum, doctum, et mihi etiam amicitia Ratisbonæ contracta probe notum, deceperit terminationis vocabulorum Syriacorum cum pronunciatione vocumque Bojoaricarum exitu convenientia; quod ſane ficulneum eſt argumentum. Jamblichum de vita Pythagoræ ex editione KUSTERI non poſſideo, ſola mihi eſt, quam abs te accepi, Commeliniana, multis lacunis referta. Felicem te, vir amiciſſime, in nanciſcendis libris MSS. qui non adgnoſcit, is, quid felicitas ſit, ignorat. Tabulis cereis, quas Argentoratenſes oſtentant, ſimiles ſunt Berolinenſes; nam et hæ epiſtolam quandam Ciceronis exhibent, ſi quidem, qui eam nobis prælegebat, bibliothecarius bona fide legit. Ceterum, ut, quibus nunc uteris, aquis Swalbacenſibus, quidquid vitii in corpuſculo tuo reſidet, feliciter eiicias, elimines, egeras, eluas, precor. Piſcium te more vivere ſcribis; ut et piſcis inſtar ſanus ſalvusque redeas, opto. Scripturus ad te, amice ſuaviſſime, ſum, quotiescunque aliquid litteris dignum ſeſe obtulerit; etſi, quæ tua eſt humanitas, hoc me officio ſuperſedere velis tantiſper, dum tute Muſis tuis redditus, reſponſorias mittere queas. Immo deſti-

ſtitutus quoque novarum rerum copia, tamen epiſtolas, verum ſteriles, ad te exarabo, quo intelligas me tui quoque memoriam, quantumvis piſcis more muti, diligentiſſime recolere. Vale, et Hoc age. Gieſſa, Kalendis Julii cIↄIↄccxv.

Si quid habes (habebis autem affatim) quod ad BRAYI Martyrologium augendum conducet, ut, redux domum factus, ſignificare velis, pater enixe rogat, qui et acidularum hauſtus ex tuo noſtroque voto fluere jubet. Vale, et Herculis poculum, non tamen illud, quod Alexandro M. mortem attulit, ſtrenue evacua.

CCIV.

JO. HENR. MAJVS, F.

Etſi nil prorſus habeam, quod nunciare tibi poſſim, homo plane ſiccus et aridus, longeque abs te, vir amiciſſime, diverſus, utpote qui liquidus nunc es et

madidus totus ; tamen, quia gratas tibi fore litteras meas, quocunque demum habitu accedant, ſignificaſti, facio, quod imperaſti. Tot enim quis imperatores habet, quot amicos. Primum te quærerem, quomodo valeres ? niſi inanem fore quæſtionem meam exiſtimarem, nullo quippe reſponſo excipiendam, uſque dum aquarum multitudo, qua nunc gravaris, abierit. Neque tamen dubito, quin optima utaris valetudine, meliore profecto, quam ego, quem imbecillitas pedum, manuum, linguæ, quid multa? membrorum omnium, et neſcio quis animi dolor, adhuc premit. Mæcenatis votum fuit, Seneca judice, turpiſſimum, at nunc tamen uſurpandum : Debilem facito manu, Debilem pede, coxa : Vita dum ſupereſt, bene eſt. Juvat nimirum vel tui cauſſa, cum quo vivere jucundiſſimum, ſpatium adhuc aliquod vitæ emetiri, quantumvis ægro adflictoque corpore. Bibliothecam Wolfii, quum glutinator nondum reddiderit, quoties nomen tuum, amice optime, ornet, ne nunc quidem indicare queo. Si poſt reditum tuum ad Penates orationem Dominicam CL. linguarum nanciſci poſſem, gratiſſimum eveniret, ego enim ſupra, quam dici poteſt, nunc ea egeo, quæ ſi ſerius ad te, dein et ad me allata fuerit,

uſui

uſui equidem erit mihi , at non tam luculento, quam nunc eſſe poſſit. Vt libros tuos, quos D. Weberus jam penes ſe habet, tibi reſtituerem , finxi, occaſionem mihi ad manus eſſe, mittendi ad te magnam librorum copiam, deſignabam tempus, quo utopicos libellos ablegaturus eſſem, nominabam aurigam, cui nomen Vtis, inſtabam ego, pollicebatur ille. Adpropinquante ſtatuto die, monebam denuo, ipſe ad eum viſebam, ſed tum nil, niſi inania verba. Ajebat ſe nondum enotaſſe, quæ vellet, omnia, petebat, adhuc duas ſibi dari ad luſtrandum hebdomadas, quibus ad finem deductis, bona fide libros reddere vellet. Modo, ne Punica fides Germanum obſideat. Quid facerem? Danda fuit mora, quam et tu mihi ſæpius conceſſiſti. Eſt vero, quod ipſe noſti, et quod a me, quamvis collegii jure ipſi juncto, diſſimulandum non eſt, trico, quem niſi crebrius urgeas, nihil efficies. Qua in re ſi opera porro mea tibi utilis videbitur, libens negotio hocce defungar, minimum fungar. Ne et me malum exiſtimes nomen, eo quod Sauli, nondum regis, comites, tamdiu detineam, rogandus es. Ingenue fateor, me per duos propemodum menſes non audiviſſe illos rudentes, atque inſuper, quum equo indies vehi

 cogor,

cogor, aſinorum nullam nunc habere poſſe curam. Quando tu Muſis tuis, ego mihi redditus fuero, quod aut morbus aut mea ignavia impedimenti attulit, induſtria compenſabo. Vale, et me ama. Gieſſa, quarto Idus Julias cIↄIↄccxv.

CCV.

J. H. MAJO.

Rumpo tandem ſilentium, Teque Amicorum Principem præ omnibus merito alloquor, poſtquam Lares Muſasque meas reſalutavi. Redii, ſed parum ſecunda proſperaque valetudine, cum tamen, ut incolumitati conſulerem, ſanitatique indulgerem, profectus ſim. Fecit id cœli tempeſtatisque, quam ultimis diebus experti ſumus, inclementia, quæ febrem mihi minabatur, meque per biduum lecto, quem equuleo, et per integram ſeptimanam cubiculo, quod ſpeluncæ comparare poſſis, incluſit. Id quod eo gravius tuli, quod novos eo tempore

re advenas, duos celebratiſſimi nominis Viros Helvetos, Bauhinum et Zwingerum, ſalutare nequiverim. Spero tamen, illos in tranſitu per hanc noſtram urbem me compellaturos. Interim malignum illum ſpiritum vel hoſtem inedia, præſentiſſimo optimoque omnium, qui me infeſtant, morborum remedio, fugavi, tres dies eſuriales celebrando, quibus nil, niſi calidam herbæ *Thee* infuſam ſumſi, ab omni alio cibo potuque abſtinens. Maceravit id quidem corpus, aſt vires ſenſim, obſervatis rite temperantiæ regulis, redierunt. Utinam vero et tu, Amice dilectiſſime, ad priſtinum corporis robur et firmitatem virium rediſſes, quod binæ tuæ non ſine maximo meo mœrore negant. Vide, quam iratam atque inimicam Hygeam experiantur, qui Minervæ litant. Sed apage profana iſta idola! cur in mentem iſta veniunt? Reſtituet te brevi, ut ſpero, Numen benigniſſimum priſtinæ ſanitati, nobisque te ſalvum atque incolumem reddet. Irenæum Magnifico Parenti non diſplicere gaudeo, dedi chariſſimæ Matri ejusdem per Cel. PFAFFIUM edita fragmenta una cum Jamblicho KUSTERI. Illis Rev. Pater, huic vero tu ipſe, Amice dilectiſſime, locum in veſtra dabitis bibliotheca. PASSERATII et STEPHANI

 li-

libellos tuo palato arridere lubens audio, plures enim ſimilis argumenti dare potero. Vidiſtine Joach. PERIONII Dialogos de linguæ Gallicæ origine, ejusque cum Græca cognatione libros IV. Pariſ. A. 1555. apud Sebaſt. Nivellium, forma, quam vocant octavam, editos: item Dav. Cohen de Lara Convenientiam vocabulorum Rabbinicorum cum Græcis, Amſtelodami A. 1678. typis exſcriptam? Poſtremum procul dubio noſti. Aſt ſequentem te latere conjicio, quod neminem Græcæ cum Germanica noſtra lingua harmoniam data opera demonſtraſſe ſcribas. P. HERTLINGII Soc. Jeſ. Lexicon Latino-Græco-Germanicum innuo, quod eum in finem congeſſit, ut harum linguarum convenientiam demonſtret, atque Græco-Germanica, ſeu moderna Germanica, ut autor loquitur, ex Hellenismis illuſtret. Plures ſane libellos, qui linguarum originem cognationemque enarrant, poſſideo, et, quotquot habere poſſum, corrado. Henricus MUHLIUS de origine linguarum variarum, ſtirpeque ac matre Græcæ, Latinæ et Germanicæ Hebræa diſſertationem inauguralem elegantiſſimam habuit, quam, cum duplex mihi ſit ejus exemplum, tibi donandam duxi. Adjeci Conr. GESNERI Mithridatem de differentiis linguarum,

quo

quo tamen commode carere nequeo, ad inſpiciendum vero eum dare volui, cum de Punica quædam, aliaque tibi non injucunda contineat. Miraberis autem mecum, quod nullam Melitenſis linguæ mentionem faciat, cum de veterum, tum quæ hodie apud diverſas nationes in toto (ut rubrum pollicetur) terrarum orbe in uſu ſunt, obſervationes promittat. Summa induſtria, quæ de Melitenſibus occurrent, in uſus tuos annotabo. De Punica lingua e SPANHEMIO loca deſcribi feciſſem, niſi illorum prolixitas obſtitiſſet, maluiſſemque, ut propriis oculis opus egregium inſpicere, tabulasque, varios, Punicos etiam, characteres referentes, perluſtrare poſſes. Quæ ad BRAYI ſtudium martyrologicum facere poſſunt, quam primum vacaverit, conlegam. Magna negotiorum poſt reditum, literarumque, quibus reſponſum debeo, moles me etiamnum impedit. Quodſi vero longa nimis mora optimo Parenti videatur, Behagelio noſtro mea ſeorſum dabo. Expecto etiam quædam de perſecutionibus in Palatinatu perpeſſis, quæ amicus quidam ſuppeditabit, qui a BRAYO ipſe rogatus eſt, ad evitandam vero invidiam meo potius nomine, quam proprio, non ſpernenda ſuggerere in animo habet. Felicitatem meam

am in nanciſcendis MSS. Codicibus iterum deprædicas, injurius forem, niſi ipſe eam grato lætoque agnoſcerem animo. A teneris etiam unguiculis ad rei literariæ ac librariæ ſtudium divina me accendit providentia. Crevit cum ætate in bonos libros amor, et poſtquam bibliothecam inſtruendi conſilium cepi, tantos ſucceſſus vidi, ut divinam benedictionem ſatis admirari atque venerari nequiverim. Frater meus jam Florentiæ degens octo iterum Codices mihi comparavit, inter quos Græci duo, quos licet deſignare neſciverit, non contemnendos tamen exinde conjicio, quod e bibliotheca excellentiſſimi CIAMPINI illos coemit. Plura etiam Mſta indies mihi obveniunt, quæ, cum hiſtorici, politici, vel alterius argumenti ſint, tuaque ſtudia parum juvare poſſint, ſilentio præterire ſoleo. En tibi deſignationem novorum Ebraicorum librorum. Oblatus mihi ante tres dies fuit Codex membr. Gregorii P. M. Moralia in Jobum, cum alio minori, medica complectente, quos brevi etiam meos fore ſpero. Ad poſtremas tuas nunc tranſeo, quibus me immerentem beaſti, ad priores ſcilicet tuas ſilentem. Iſtud vero ſilentium meum minime vitio vertes. Mihimetipſi grave illud accidit, ſed cum quotannis

ad

ad ea , quæ vita ſedentaria adferre ſolet, incommoda avertenda acidulis mihi utendum ſit , eo tempore ab omnibus occupationibus adeo abſtinendum eſt, ut ne calamum quidem ſtringere liceat, ſi quidem Medicis fides adhibenda, qui omnem aquarum uſum denegant, et lernam malorum, ſi contra agerem, minantur. Cum igitur te per literas compellare prohibitum mihi fuerit, inſigne ſane beneficium præſtitiſti, dum iterato colloquio tuo, quo nil dulcius mihi eſſe poteſt, exhilaraſti. Orationem dominicam in omnibus tabernis fruſtra quæſivi, non ſine gravi, Tui cauſa, indignatione. Veterem editionem, ſi tibi uſui eſſe poſſet, dare poſſem. Wetſtenius, qui nuperis nundinis curare illam voluit , me fruſtravit, alias jam dum haberes. Videbo , an Geiſſius noſter illam commodare queat. Collegam tuum ob tres , quos mutuo habet, libros nimis a te urgere nolim, quod ego olim BODINI Dialogos, quos cum meo conferendos exemplo conceſſerat, juſto diutius retinuerim. Tu omnem curam adhibe , ut valeas. d. Jul. 1715.

CCVI.

CCVI.

D. JO. ANDREÆ SCHMIDIO,
Theologo Helmſtadienſi et Abbati Mariævallenſi.

Ex eo tempore, quo te videre, vel, ut rectius dicam, coram venerari contigit, literis te compellare animus ſæpiſſime fuit. Suadebat certe inſignis tua, qua me ac germanum, dum ante aliquot annos Academiam veſtram inviſentes te maximum illius decus ſalutaremus, excepiſti, benivolentia, urgebat beneficiorum in nos collatorum nunquam intermoritura memoria (e). Aſt neſcio, quæ reverentia ac verecundia toties conantem repreſſerit. Maximum certe obſtaculum fuit, quod inanibus tibi literis moleſtum eſſe, ac ſacra tua et univerſæ rei literariæ tam proficua ſtudia turbare piaculum crediderim. Accidit vero, ut quidam Profeſſor Regiomontanus hac tran-

(e) vid. B. VFFENBACHII *Merckwürdige Reiſen*. Tom. I. p. 210. ſqq. et p. 233. ſqq.

tranſiens, ac qualemcunque librariam ſupellectilem meam perluſtrans, aliquot manu exarata volumina (f) cerneret, in quibus bene multæ LUTHERI, MELANCHTHONIS ac aliorum coævorum epiſtolæ autographæ et alia illorum opuſcula, atque in his non pauca anecdota, continentur. Hæc videns narrabat, te, Vir Magnifice, novum ſcriptorum LUTHERI tomum moliri, quam proximo, faxit Deus feliciter illuceſcat! anno repurgatæ religionis jubilæo publici juris facturus ſis. Commodam igitur ad te ſcribendi occaſionem nactus mihi videbar, ut ſcilicet ea omnia in publicos, quod lubentiſſime ſemper facio, uſus offerrem. Utinam vero index omnium jam confectus eſſet, ut ſimul dare poſſem! Quodſi vero non ingratum tibi fore intellexero, illico a me conſcribetur, ac, quibus omnia conditionibus, quas æquiſſimas fore ſpondeo, conceſſurus ſim, declarabo. Vale, et, niſi audaciuſculum votum ſit, me amare perge. d. 16. Sept. A. 1716.

Frater

(f) vid. b. Jo. Chriſtoph. Wolfii Conſpectum ſupellectilis epiſtol. et liter. MS. p. 230. ſqq.

Frater meus, qui ante aliquot menſes, abſoluto per Helvetiam, Italiam, Gallias ac Belgium itinere, ad Lares multis onuſtus egregiis libris ac inſtrumentis mathematicis rediit, te officioſe ſalutare juſſit.

CCVII.

D. JO. ANDREAS SCHMIDIVS.

Gratæ admodum mihi fuerunt literæ tuæ, cum eam ob cauſam, quod nominis mei memoriam alta adhuc mente repoſtam habeas, tum quod tam benevole mihi promiſeris ea, quæ ad LUTHERI opus promovendum faciunt. Meum propoſitum eſt, Deo dante, omnes LUTHERI epiſtolas editas et ineditas in unum referre volumen (g), cum maxi-

---

(g) Dolendum eſt, ſpem decollaſſe, quam præter b. SCHMIDIUM de pleniori

maximam partem hiſtoriæ reformationis contineant. Collegi hoc ſaltem anno epiſtolas ultra quingentas, quæ MStæ diverſis in locis latebant, et earum plures expecto ex archivo Vinarienſi, nuper demum mihi oblatas. Si ergo tibi placuerit, catalogum deſcribere de illis, quas poſſides, et mecum communicaveris, rem mihi facies gratiſſimam. Conditiones, quas præſcribes, pro viribus lubens implebo. Clariſſimo Dn. Fratri tuo gratulor de felici ad patrios Lares reditu, eique nomen meum commendabis. Si ab eo inſtrumentorum mathematicorum rariorum deſignationem obtinere poſſem, mihi quam maxime gratularer. Helmſt. d. 12. Nov. 1716.

CCVIII.

---

niori Epiſtolarum LVTHERI collectione edenda viri, dum viverent, celeberrimi, Jo. Chriſtfr. SAGITTARIUS, Jo. Chriſtoph. SCHLEGELIVS, Gottl. WERNSDORFIUS, et præſertim Jo. Chriſtoph. WOLFIUS fecerant.

CCVIII.

D. JO. ANDREÆ SCHMIDIO.

Citius ſane ad acceptiſſimas tuas reſpondiſſem, ſi indicem literarum LUTHERI, quem deſideraſti, contexere prius per varia impedimenta licuiſſet. Ut enim alia taceam negotia, ipſa voluminum epiſtolicorum evolutio plus, quam putaram, temporis exegit. Pleraque enim vel indicibus omnino deſtituta, vel talibus inſtructa, quibus fidere ſine juſto, ne una alterave epiſtola, quæ tibi uſui eſſe poſſet, elaberetur, metu non potui. Accedit, quod ſingulas inſpicere, ac, quo loco ac tempore a pia manu exaratæ fuerint, ſedulo annotare, tibi neceſſarium exiſtimaverim. Dum igitur ſtudioſius ſingula volumina mihi propoſueram perquirenda, factum eſt, ut nonniſi tria hactenus abſolvere potuerim. Ne tamen nimis longa mora foret, quæ in illis deprehenderim, per inſertam his ſchedulam ſignificandum duxi, licet octo vel plura adhuc reſtent evolvenda. Quod ut facerem, ſuaſit etiam vetuſtiſſimus, ac plane etiam chriſtia-

ſtianus circa novi anni exordium fauſta ſibi invicem precandi mos, ubi mea certe in te pietas ſilere minime debuit. Faxit igitur Deus T. O. M. ut præſentem non ſolum lætiſſime tranſigas, ſed plurimos adhuc vivendo attingas annos! Servet te Deus in Eccleſiæ, ſæcularia hoc anno, utinam feliciſſime ac fauſtiſſime! agentis, augmentum, reip. literariæ ornamentum, ac tuorum omnium ſolatium! Adſit tibi gratia ſua Numen benigniſſimum, ac vires tum corporis, tum animi largiatur, ut non ſolum ſalvus atque incolumis permaneas, ſed, quod hactenus egregie feciſti, eccleſiæ ac rei literariæ operam porro utiliſſimam præſtare, ac eximiis ſtudiis tuis eam adjuvare atque exornare poſſis quam diutiſſime! CCLXXIII. epiſtolas D. LUTHERI, quarum jam elenchum dedi, non omnes anecdotas eſſe, ex addita loci ac temporis, quam ideo faciendam duxi, mentione facile cognoſces. Ipſe ego non paucas inter editas deprehendi. Tu vero, Vir Magnifice, cum editis diligentius comparabis, ac, quas in uſus tuos, imo publicos deſcribi velis, indicabis. Ego illas non modo ſtudioſe èxarari curabo, ſed ipſemet ſumma cura conferam. Conditiones, de quibus nuper dixi, non improbabis, ſed æquiſſimas, ut ſpero, judica-

dicabis. Sunt autem ſequentes: ut primo amanuenſibus, quorum opera deſcribentur, a typographo merces, et quidem octo crucigerorum, quorum centum et viginti uncialem, vel nonaginta imperialem conficiunt, pro qualibet philyra ſeu plagula ſolvantur. Tantum ego ipſemet, quando antiqua et lectu difficilia exarant, ac chartam ſubminiſtrant, numerare ſoleo. Secundo, ut idem typographus aliquot exemplaria mihi in aliquam remunerationem dare teneatur, quibus ego amicos donaturus ſum; ac denique tertio, ut vel ſingulis epiſtolis, ſi reliquis ſerie temporis admiſceantur, vel ſi in appendicem omnes rejicere, ac ſeorſum dare placuerit, in titulo nomen meum, abſque omni tamen elogio, adjiciatur. Quanquam enim inanis me gloriæ cupido minime vexet, quotiescunque tamen quidquam ab interitu mea cura vindicatum publici juris fit, hoc unicum qualiscunque diligentiæ meæ, ne ulla quidem ſumtuum impenſorum habita ratione, præmium ut depoſcam, licere puto. Quas leges ſi tu, Vir Venerabilis, et typographus tuus non aſpernemini, non ſolum quas e notatis exiges, ſed quæ in cæteris meis epiſtolarum Codicibus reperientur, quam lubentiſſime dabo. Nuperrime demum duo

nactus

nactus ſum volumina ingentia, eaque præſtantiſſima, ultra mille epiſtolas ad Jo. PAPPUM et Jo. SCHMIDIUM, celeberrimos Argentoratenſium Theologos, potiſſimum datas complectentia (h), inter quas etiam, paucæ licet, a LUTHERI manu profectæ occurrunt. Oblata etiam, quod tibi in aurem dico, mihi ſunt authentica Colloquii Marpurgenſis Acta una cum ſexcentis LUTHERI ac eorum, qui intererant, autographis. Quæ omnia utinam brevi a poſſeſſore adhuc tergiverſante æquo adipiſcar pretio! Interim erunt, ut nullus dubito, in cæteris collectionibus meis plures b. Viri epiſtolæ, de quibus brevi te monebo. Germanus meus, qui te ſalvere jubet, inſtrumentorum a ſe allatorum indicem proxime dabit. Nil ſupereſt, quod addam, niſi maximas pro transmiſſis eruditiſſimis ſchediasmatibus gratias, quas, ſi potero, referam. d. 9. Jan. 1717.

CCIX.

(h) vid. WOLFII Conſpect. Supell. epiſt. et lit. MS. p. 50. ſqq.

CCIX.

D. JO. ANDREAS SCHMIDIUS.

Paucis te volo, Vir Excellentiſſime. Per duos fere menſes lecto affixus, nec nunc ſatis valeo, et manu ægrota ſcribo. Nolui tamen hac vice officium meum negligere, ne putes, nominis tui memoriam penes me periiſſe penitus. Si in conquirendis epiſtolis LUTHERI adhuc ſedulus es, rem mihi facies gratiſſimam. Quamprimum Deus mihi conceſſerit firmiorem ſanitatem, de hoc argumento pluribus tecum agam. d. XXIX. Sept. MDCCXVII.

CCX.

D. JO. ANDREÆ SCHMIDIO.

Cum tanto temporis intervallo nullum a te reſponſum tulerim, videbatur mihi, te conſilium in conlegendis LU-

THE-

THERI epiſtolis vel mutaſſe, vel meam farraginem ob exactas, æquiſſimas licet, conditiones aſpernatam atque neglectam fuiſſe. Hinc cum ante tres, et, quod excurrit, menſes Celeb. FRANCKIUS, Prof. Halenſis, hac tranſiens, ac bibliothecam meam perluſtrans, MSta mea LUTHERI ac coævorum volumina cerneret, ac non modo epiſtolas, ſed reliqua etiam opuſcula, cum novum LUTHERI tomum prælo paret, ſibi expeteret, omnia, quæ mea ſervat ſupellex, ei ſpopondiſſem, niſi mea erga te pietas atque benivolentia, ac promiſſi ſanctitas fidesque cohibuiſſet. Declarabam igitur, expectandum mihi eſſe adhuc aliquandiu reſponſum tuum, eoque recepto epiſtolas tibi utique concedendas eſſe, reliqua vero opuſcula, ad rem tuam non facientia, nec a te deſiderata ipſi pollicebar. Paullo poſt tuæ mihi redditæ fuerunt, ex quibus triſtiſſimam ſilentii cauſam ægerrime perſpexi. Dolui ſane vicem tuam, ac ardentiſſima pro tua ſalute vota fudi. Spero autem, te priſtinæ nunc ſanitati reſtitutum eſſe, quam ut Deus T. O. M. tibi obfirmet, ac te eccleſiæ et reip. literariæ quam diutiſſime ſalvum atque incolumem præſtet, ex animo precor. Sinat te Numen benigniſſimum meliori inſtanti, quem faxit Deus feliciter!

 au-

auſpicabimur, anno valetudine frui, avertat a te omnia mala, ac fauſta quævis largiatur! Bibliotheca mea multis iisque egregiis in dies divina benedictione augetur acceſſionibus librorum tum manu, tum typis exſcriptorum. Nuperrime præſtantiſſimus mihi codex membraneus e Monaſterio quodam (i) oblatus fuit. Continet inter alia Acta Conſtantienſis (k) Concilii, inter quæ anecdota quam plurima, nec a Celeb. Dño von der HARDT, Collega tuo honoratiſſimo, viſa. Quæ omnia, poſtquam cum ejus voluminibus, confecto prius in illa magno labore indice, contuli, per amanuenſem deſcribi curavi. De quo Dn. Collegam tuum, prævia ex me ſalute, admonebis. Tu vero de epiſtolis LUTHERI quid ſtatueris, quidve agendum ſit, me certiorem reddes. Scribebam die ultima Anni MDCCXVII.

(i) Moguntino.

(k) Hæc inſignis collectio, duobus ingentibus primæ magnitudinis voluminibus conſtans, jam Bibliothecam noſtram publicam ornat. Plura de illa diſſerui Part. I. Actorum hiſtorico-eccleſiaſt. ſæculi XV. et XVI. p. 2. ſqq.

CCXI.

JO. ALBERTVS BENGELIUS,

Eccleſiaſtes ac Præceptor Denckendorfiani Collegii Alumnorum Sereniſſ. Ducis Wirtembergici (l).

Qui ſummam tuam in maxima amplitudine humanitatem ipſe nuper expertus eſt amicus meus , idem inſcienti mihi eam paratam eſſe ſignificavit, uſque eo, ut litteris quoque meis aditum patere velles: et pignoris quaſi loco nobile illud artis typographicæ ſpecimen Tuo nomine miſit. Pro tanta benevolentia tibi, Vir Generoſiſſime , maximas gratias ago: unumque opto , ut ei ulla ratione reſpondere valeam. Mihi quidem gratulor , meoque conatui , cujus mentionem ab illo adoleſcente factam ſentio, plurimum opis promitto atque ornamenti.

(l) Tandem Theolog. Doctor , Ducalis Conſiſt. Aſſeſſor, Abbas Alpirſpac. rel. Theologus de eccleſia noſtra multis nominibus immortaliter meritus.

ti. Epiſtolarum Tullii, quas inconſulta familiarium appellatio et ſelectarum exiguitas propemodum viles fecit, ea paratur a me editio, non quæ viris politicis, neque tironibus rudioribus, ſed adoleſcentibus ad academiam præparandis utilitates earundem recludat. Prima cura eſt emendationis, quam ne Græviana quidem editio reſpuit: altera intelligentiæ, ad quam omnium interpretum, quorum nobis quidem facultas eſt, annotationes recognitæ novisque auctæ conferuntur: tertia imitationis ſobriæ et legitimæ. Quem laborem quæ adjuvare queant, dum undique conquiro, Phil. QUARTIERII editionem in uſum Delphini 1685. 4. quam diu deſideravi, penes te, Vir illuſtris, eſſe cognoſco. Ego, qui ſcirem, quem apud te locum Exc. Prof. LANGIUS Giſſenſis, fautor meus ſingularis, teneret, petii ab illo, ut fide ſua interpoſita libri uſuram impetraret mihi. Sed illius rogationem is, quem dixi, amicus meus, voluntatis meæ non ignarus, antevertit: ac librum non illum quidem integrum, ſed tamen Tomum quendam præſto eſſe demonſtravit, ſimulque in eo genere plura abs te mihi prompta eſſe confirmavit. In publica injurius eſſem commoda, ſi liberalitatem ſingularem non

pro-

protinus amplectendam eſſe exiſtimarem. Itaque primum operis Quartieriani partem illam, quum integri comparandi ſpes nulla eſt, expeto, ut aut emolumenti aliquid inde capiam, aut, ſi minus, reliquis partibus æquiore animo caream: deinde, ſi quæ alia conferre volueris, non minus exſpectata erunt. Quid habeam, quid deſiderem, ſeparata indicat ſchedula: quibus mihi rebus ſubvenire queas, Tu facillime optimeque perſpicies.

Quod ad Primi TRUBERI verſionem librorum ſacrorum Slavonicam attinet, vidi opus, ſed ubi hoc tempore comparari queat, non reperio: dabo tamen operam, ut eruam; id ſi contigerit, magnopere lætabor. De ipſo Primo TRUBERO in Suevia ſacra, quam PREGIZERIS debemus, paſſim occurrunt aliqua pag. 146. 151. 382. cui jungi poteſt WENGERSCII Hiſt. Eccl. Slavonic. et FISCHLINI Memoria Theologor. Wirtemberg. De ceteris rebus, ſi quid a paupertate mea ad te proficiſci potuerit, quo tibi gratum faciam, pro jure tuo imperabis: animum quidem perpetuo devinctum habebis. Denkendorfi d. VIII. Januar. MDCCXVII.

Ad

Ad Epiſt. Familiar. Ciceronis edendas
præſto ſunt jam, ac fuerunt
Cic. Opp. edit. Badii Aſcenſiii 1511. fol.
Baſil. ap. Cratand. 1528. f.
R. Stephani, Pariſ. 1538. f.
Joach. Camerarii. 1540. f.
Lamb. et Gothofredi.
1588. 4.
Gruteri edit. Hamburg. f.
Jacobi Gronovii. 4.
Epiſt. Familiar. cum Comm. Varior. Paris, 1557. f.
- aliorum, Venet. 1568. f.
- aliorum, 1693.
Amſtelædami: cura Grævii.
- - cum Comm. Uberti Creſcentin. Venetiis, 1483.
- Mediolani, 1485.
Epiſt. Famil. ed. Robert. Steph. 1543. 8.
- - edit. Dransfeld. Cellarii, Junkeri, Reimmanni, Uhſei, Minelli, et Grævii Wetſteniana, ſeu minor. it. ap. Wechelianos cum annot. anonymi, 1610. &c.
Epiſt. ſelectæ. Hal. Sax. 1716. et Stutgard.
cum variorum notis.
Riccii argumenta et ſcholia.
Paraphr. Gallica Doleti.

re-

- - - recentior cum annot. Pariſ. 1704. 12 4. Tomis.

Gruteri Lampas et alii libri Critic.

Deſiderantur autem

Editio Veneta ap. Juntas aut Manutios, ann. 1571. vel 1583. vel 1591.

Paraphraſis Græca epiſtolarum ad Familiar. quam alicubi exſtare, ex viro docto audivimus.

Petri Marſi Commentarius in Epiſt. Famil.

Amantii Scholia, quorum mentionem facit Lambec. Comm. de Biblioth. Vindob.

Berneggeri annot. inedit. vid. Bibliographia Critica Boecleri.

Mureti Annotationes Roma ad Grævium miſſæ. vid. hujus præfat. epiſtol. famil.

Variæ Lectiones e MSS. Germanorum nondum excuſſis; et explicationes, emendationesque, e rariobus variarum lectionum ſcriptoribus nondum productæ.

Et alia, quæ ii norunt, qui habent.

CCXII.

CCXII.

JO. ALB. BENGELIO.

Annus eſt, et quod excurrit, quod non ſolum Dn. LANGIUS, ſed et MAJUS meus Tuo nomine rogarint, ut, quæ ad Ciceronem inluſtrandum facere poſſent, ſuppeditarem. Dolebam tum temporis, quod egregia ſtudia Tua adjuvare minus poteram, cum N. vos antevertenti fidem jamjam dederim, me omnia, quæ non modo e veteribus codicibus meis manu exaratis erui, ſed alia quoque, quæ ad præſtantiſſimi autoris emendationem facere poſſent, conceſſurum. Male me equidem habebat, quod iſthæc pollicitus fuerim, cum Tibi inſervire potius maluerim, quam Critico iſti ſatis infelici, qui plurimos quidem autores, aſt invita plane Minerva, in publicam lucem profert. Sed fidem datam fallere religio erat. Poſtquam vero is præſcriptas a me leges reſpueret, ac, ut, quicquid eſſet codicum, ad ſe ipſum transmitteretur, urgeret, ego vero ob locorum non ſolum diſtantiam, ſed aliis etiam de cauſis merito denegarem,

rem, nil magis in votis erat, quam ut Te adjuvare poſſem. Opportune igitur accidit, ut non tantum Dn. Langius Tui gratia ad me iterum ſcripſerit, ſed adfinis quoque Tuus, qualemcunque meum librorum adparatum perluſtrans, Tui cauſa me compellarit. Intellexi ex utroque, Te non omnia Tullii opera, ſed epiſtolas ſolummodo, quæ ad Familiares, licet, ut recte mones, minus adpoſite inſcribuntur, publici denuo juris facere velle. Dolebam denuo fortunam Tibi bene cupienti adverſam. Licet enim aliquot non ſpernendos Ciceronis opuſcula continentes Codices membraneos dederit, nullus tamen eorum epiſtolas ſiſtit. Dedit quoque rariorem Ciceronis voluminibus minoribus editionem, viri docti manu illuſtratam, aſt dum ultimum Tomum, qui epiſtolas ad Familiares habet, evolverem, hunc nonniſi lituris conſpicuum, vel potius deturpatum deprehendi, cum reliquis fere omnibus annotationes ac emendationes bene multæ ac eruditæ adſcriptæ ſint. Transmittendum tamen Tibi tomum iilum duxi, quod editio hæc Gryphiana non ubivis obvia; quanquam fatendum ſit, Gryphium illum typographum alias diligentiſſimum induſtriam ſuam in exſcribendo hoc Latinorum autorum principe haud

præ-

præſtitiſſe. Cæterum gaudeo, me Tibi QUARTIERII in uſum Delphini editionem ſuppeditare poſſe, et quidem integram. Adfinis enim Tuus perperam intellexit dicentem, epiſtolas ad Atticum deeſſe. En reliquas, quæ mihi, præter eas, quas in ſchedula indicaſti, præſto ſunt, Tibi etiam, ſi juſſeris, erunt, editiones: (I.) Opera omnia in tomos diſtincta quatuor Baſileæ ex officina Hervagiana. 1534. forma mai. quam fol. vocant. (II.) cum notis Lambini et Gothofredi Genevæ 1646. apud Jac. Stoer 4t. (III.) Epiſtolæ ad Familiares a Dionyſ. Lambino emendatæ cet. Francofurti ad Oderam 1615. typis Hartmannianis. (IV.) *Epiſtole Familiari tradotte da Aldo Manucio in Venetia 1620. 8to. appreſſo Giorgio Valentino.* (V.) *Lettres a ſes amis traduites en Francois avec des Avertiſſements. a la Haye chez Pierre Huſſon. 1709. 8ct.* Neſcio an eadem ſit cum memorata a Te Pariſienſi 1704. editione. Elegantiſſima ſane eſt, ac adjectæ notæ hiſtorico-politicæ præſtantiſſimæ. (VI.) Epiſt. Famil. libr. XVI. ex editione Chriſtoph. Hegendorphini Ffurti 1570. apud hæred. Chr. Egenolphi 8ct. (VII.) Opera Epiſtolica. Præmittuntur vita Ciceronis et Attici. Fol. Pariſiis. 1511. apud Jo. Parvum et Jo. Badium. Utinam vero iis, quæ in averſa ſche-

ſchedula a Te deſiderantur, juvare poſſem! Habet equidem bibliotheca mea magnam criticorum farraginem, ſed ad illam excutiendam mihi ſane otium non eſt. Sæpius optavi, ut viri quidam eruditi id ſibi laboris ſumerent, ut indices in innumera doctorum adverſaria ac obſervationum, variarum lectionum et ſimilium criticarum annotationum volumina, ac in alia etiam eruditorum ſcripta, vel ad veterum autorum ſeriem, vel etiam ad Lexici modum conſcriberent, ut uno ſtatim obtutu, quid præſtantiores omnium ſeculorum viri in difficiliora Græcorum ac Latinorum loca commentati ſint, poſſit reperiri. Improbus certe foret labor, aſt utiliſſimus. Quam multæ enim obſervationes elegantiſſimæ in iſtis non modo conlectionibus, ſed etiam in aliis Theologorum, JCtorum, Medicorum, Antiquariorum etc. aliud licet agentium ſcriptis latent, quas in numerato habere nemini certe mortalium datum fuit, nec continget unquam. Sed inter pia hoc referendum erit, ac ſemper manebit deſideria. Quod Truberianam Bibliorum verſionem Te indagaturum ſpoponderis, magnas Tibi habeo gratias, majores, ſi illam aliquando comparaveris, acturus. Quod ſi etiam alii libri tam rariores, quam MSti, quos

ſtudioſiſſime conquiro, occurrant, ut de illis certiorem me reddas, enixe rogo. Wigulei HUNDT Metropolin Salisburg. et alia hujus viri ſcripta quam maxime deſidero. Si æquo pretio haberi abs Te poſſent, inſigne mihi ſane præſtares officium. Vale. Scribebam d. 20. Jan. 1717.

CCXIII.

JO. ALBERTVS BENGELIVS.

Nemo eſt, qui tanto amplitudinis et locorum intervallo tantam liberalitatem in ſublevanda qualicunque induſtria mea adhuc præſtiterit, quantam Tu, Perilluſtris Domine, miſſis non tantum egregiis libris duobus, oblatisque pluribus, ſed, quod multo majoris æſtimo, adjunctis litteris omni gratia et humanitate refertis. Quod ad QUARTIERIUM attinet, profitetur ipſe, ſe MANUTIUM fere ſequi: atque ita quidem ſequitur, ut, quod de ſuo addit, in eo frequentem præbeat occaſionem ſolidiora commen-

mentandi ; quo ipſo beneficii in me tui magnitudo ſatis agnoſcitur. Jam octo priores libros his prope duobus menſibus in eo recognovi : ſed quia reliquos non continuo labore legi ſeries operis mei inſtitutumque patitur , præſertim cum de ſingulis MANUTIUS prius ſit cognoſcendus ; novam rogationem ſuſcipio, ut ad libri uſuram nonnihil temporis adiicias, hac lege, ut ad nundinas autumnales, vel intra eas, una cum exemplari Gryphiano , cujus aliud non diſſimile jam ad manum erat, ſalvum remittam. Quo tempore etiam debitas gratias agam. Nihil eſt ex omni memoria miſcellis Tullii epiſtolis tritius : ſed recentiores editores tantundem in iis videntur præteriiſſe, quantum ad induſtriam anteceſſorum adjecerunt ; unde operæ pretium eſt, omnia excutere, et, quæ vera ſunt,ſuo loco reſtituere. Editio Badiana et reliquæ , quarum Catalogum dediſti, vel exemplaria ab iſtis , ut arbitror, non diverſa ad manum ſunt : ac , ſi non eſſent , moleſtiam tamen novam tibi , Perilluſtris Domine, faceſſere non deberem. Magna ceteroqui apud nos, ſi a bibliothecis primariorum virorum latentibus diſceſſeris , librorum rariorum penuria eſt : quamobrem ſi quid eorum , quorum mentionem feciſti, eruero, feli-

citatem raram arbitrabor. Meum volumen intra annum, ut ſpero, prelum, quod nondum habet, relinquet. Exinde lectiſſimos Johannis Chryſoſtomi de ſacerdotio libros, in uſum juventutis ad Theologica ſtudia in Monaſteriis noſtratibus præparandæ, ſi *πρόνοια* divina tulerit, adgrediar. Vale. Scrib. Denckendorfi, d. 29. Martii 1717.

CCXIV.

JO. ALB. BENGELIVS.

Verſionem Bibliorum Slavonicam, a Primo TRUBERO inchoatam, a Georgio DALMATINO perfectam nuper nactus ſum, neque dubitavi, volumen abs te, Vir illuſtris, paullo ante expetitum mittere. Si ſtudium meum non ingratum tibi fuerit, magnopere lætabor. Is, a quo accepi, fl. 2. kr. 30. popoſcit, ea lege, ut ne quid de pretio decederet. Aliis jam litteris percontari volueram, an placeret conditio: quæ quum de improviſo

viſo ad me remearint, ipſum librum ſtatim mittendum, neque crebris epiſtolis te interpellandum putavi. Si libitum fuerit, me ſollicitudine levare, curareque, ut de volumine reddito certior fiam; Aldi Manutii Italica translatio Epiſtolarum Ciceronis Famil. mihi erit exſpectatiſſima. Remittam, ut par eſt, cum Quartieriana et Gryphiana editione, intra tres, ut ſpero, menſes. Denckendorf. d. 12. Maj. 1717.

CCXV.

JO. ALB. BENGELIO.

Maximas ſane Tibi habeo, agoque gratias, quod Slavonicam Bibliorum translationem diu exoptatam tam æquo mihi comparaveris pretio. Summo certe beneficio me afficies, ſi in indagandis libris rarioribus, manu inprimis exaratis, pergas. Quocunque ego modo Tua viciſſim ſtudia juvare potero, promtum ſemper

per

per paratumque me præſtabo. En Tibi, quam juſſiſti, Aldinam Epiſtolarum Tullianarum verſionem Italicam , qua , uti etiam reliquis, quamdiu volupe erit,uti frui potueris. Recipe quoque ſtatutum Bibliis pretium, in quo perſolvendo ſumtibusque, quos mei cauſa in poſterum forſitan facturus es, refundendis ſemper, uti par eſt, ero paratiſſimus. Utinam Wigulei Hundii Metropolis ac Stemma Bavaricum brevi quoque occurrat! Hujus enim viri ſcripta quam maxime deſidero. Accepta quoque eſſet Raderi Bavaría Sancta, ex prima ſcilicet, quæ lucem vidit, editione. Noviſſimam enim, quæ Auguſtæ Vindelicorum Benckharti ſumtibus nuper prodiit, cum elegantiam prioris minime æquet, habere nolim. Si quæ alia hiſtorici argumenti opera Tibi obveniunt, ut de illis me edoceas rogo. Omnem enim his conquirendis operam in poſterum impendam: Ideo reliqua,quæ huc non faciunt, e bibliotheca, loculorum anguſtia laborante, eliminare conſtitui, ac eum in finem, quos vides, catalogos typis exſcribi curavi, libros, quos complectuntur, amicis vel pro adjecto pretio, vel, quod acceptius mihi, ac ipſis etiam utilius, pro aliis libris conceſſurus. Honeſta hæc permutatio ſatis ex voto hactenus ceſſit, plurima adhuc tamen ſuper-

ſuperſunt volumina, quæ Tibi familiaribusque Tuis, quibus Catalogos inſpiciendos dabis, lubentiſſime tribuam. Interim felices laborum Tuorum ſucceſſus ex animo precor, Teque valere jubeo. Dab. d. 9. Junii. 1717.

CCXVI.

JO. ALBERTVS BENGELIVS.

Subveritus eram, ne eſſet a me audacius factum, qui verſionem Bibliorum Slavonicam, non præmiſſa percontatione, ad Te curaſſem: ſed me non modo non peccaſſe, ſed etiam gratum feciſſe, ſi modo gratum quidquam a me proficiſci poteſt, ex litteris Tuis ſecundis, omni liberalitate refertis, cognovi. Quo ipſo animus mihi acceſſit, ſi felix hora venerit, alia, quæ præſcripſiſti, conficiundi: quanquam nihil undecunque adhuc ſpei comparet. Catalogi ejus, qui cum eadem epiſtola cunjunctus erat, ccpiam

 feci

ſeci amicis : quorum unus ultra tempus, quod finieram, eundem tenet. Inprimis Rabbinici libri arridebant : ſed non dubium eſt , quin eorum cupidiores emptores iſthic ſint, quam ut nominatim aliquos deligere liceat. Neque tamen id me deterret, quam quod vereor, ne labor ex labore Tibi, Vir Ampliſſime, mea cauſſa naſcatur. Fiet tamen fortaſſe per alios, ne me fruſtra volueris honeſtiſſimæ Tuæ permutationis eſſe conſcium. Quod meum eſt , libros tres, quorum mihi uſuram, tanto locorum, quanto nemo alius, intervallo, tot menſes conceſſiſti, remitto ; et pro tanto beneficio, quod tu, Vir illuſtris, ignoto ſcholaſtico, rogatu virorum clariſſimorum, præſtitiſti, maximas ago gratias. Nihil a me detrimenti cepiſſe ſpero libros; quanquam Aldina paraphraſis illa multis locis mutila eſt. Unum mihi moleſtiſſimum eſt , quod in Quartieriano volumine exterius tegumentum , quod ex priore jam itinere lacerum ad me pervenerat , a me, quamvis peregre miſerim, reſtitui non poteſt : et quamquam tanti res non eſt, de qua verbum ad te faciendum ſit; me tamen ita male habet, ut, niſi tua facilitas vetet, mallem librum in manibus meis nunquam fuiſſe. Sed non deerit domi Tuæ, qui novam veſtem illi

illi aptet; ut non modo Tibi, ſed etiam Tuis debeam. Operis mei excudendi initium per me pridem fieri poterat: ſed non omnes bibliopolæ exiſtimare poſſunt, in libro divulgatiſſimo locum eſſe utili induſtriæ, interim illud majorem nanciſcetur maturitatem, mihique primum inſerviet, donec aliis quoque alibi poterit. Stutgardiæ excuditur C. E. Weiſmanni, Prof. Gymn. Hiſtoria Eccleſiaſtica: opus copioſum maturoque judicio congeſtum, et ad hæc tempora deductum. Scriptor eſt filius Abbatis Maulbronnenſis, haud pridem mortui, pridem edito Lexico Latino aliisque ſcriptis noti. Denckendorfi 30. Aug. 1717.

CCXVII.

JO. ALBERTVS BENGELIVS.

Quia prolixiſſimo Tuo in me favori adhuc non ſatis reſpondiſſe exiſtimo qualecunque obſequium meum, Panegyrici Gregoriani a me recogniti et illuſtrati exemplar ad Te inprimis, Mecænas Generoſiſſime, mittendum duxi. Si libitum fuerit inſpicere, ex urbis *Beryti* mentione pag. 38. et paſſim in eo facta, cognoſces facillime, Bibliothecam Tuam inſtructiſſimam habere, quî nova editio libelli, ſi qua futura ſit, auctior præſtetur. Namque Part. II. Cod. VIII. num. XXII. memoratur *Δίηγησις τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν γρηγορίου τοῦ θαυματουργοῦ περὶ τῶν συναχθέντων σιβʹ ἁγίων πατέρων ἐν πόλει βηρύτου.* S. Gregorii Thaumaturgi narratio de CCXII. patribus *Beryti* congregatis. Incipit: *γρηγόριος ἐν κυρίῳ χαίρων καὶ γράψας ὑμῖν τοῖς διακοσίοις δώδεκα ἁγιωτάτοις ἐπισκόποις.* Quare, ſi Tuæ in remp. literariam liberalitati ſubſervire poſſe arbitraberis operam meam, ſubmiſſime rogo, ut, quæ ſalvis legibus æquiſſimis, Commentario Tuo præfixis, fieri queant, ea in re facias.

facias. Si viæ non admodum longæ committi liceret codicem, multo foret gratiſſimum: habet enim cum alia præclara, tum nonnulla Ephraimi ſcripta, cujus ego editionem Oxonienſem pridem cœpi ſub limam revocare meam. Traditurusque tantiſper eſſem librum MS. Græcum chartaceum in 4to. foliorum plus CCCXL. cujus argumentum paucis deſcribam, ut, idoneumne ſit pignus, exiſtimari queat. Anthologium eſt, pulchre congruens cum menologio Græcorum, illo certe, quod H. Caniſius laudavit, inſeruitque Tomo II. antiq. lectionis. Antiquitas manus quanta ſit, non reperio: operis quidem, maxima eſt. Nam hicce Græcorum liber eccleſiaſticus, ut ex Allatio, (quem Suiceri theſaurus, Voce *ἀνθολόγιον*, ſequitur,) apparet, multo majorem deinceps excrevit in molem. Primus in hoc anthologio menſis eſt September, inde Januarius quintus, aliique ſuo ordine. Selectæ ſunt Commemorationes Chriſti, et Mariæ, Angelorum, Joh. Baptiſtæ, apoſtolorum, martyrum, aliorumque Sanctorum: Hebdomas item magna, et Pentecoſtarium. Inter hæc occurrunt etiam Pericopæ Græcæ V. T. et N. complures: proſopographia ſive habitus corporis, quo Petrus et Paulus vixere: Hiſtoria converſio-

ſionis Iberorum ad relig. Chriſtianam: et illa Chryſoſtomi homilia paſchalis, quam idem ille Codex Tuus, Vir illuſtris, exhibet num. XXI. id eſt, ante Gregorium, nullo interjecto. Sin autem obſtant aliqua, quo minus hic ipſe liber Tuus mittatur; quod proximum eſt, peto, ut exemplum Gregorianæ narrationis impertias a nundinis; idque tale, ut pagina paginæ, verſus verſui, verbum verbo, ne abbreviaturis quidem aut ſphalmatis prætermiſſis, accurate reſpondeat. Eodemque tempore, ſemel in hunc rogandi campum ingreſſus, addam aliquid. Habes, Illuſtris Domine, codices Græcos et Latinos N. T. ex iis quid notari velim, ſeparata ſchedula, in qua minore negotio notari illud queat, oſtendit, ad me, quod commodo Tuo fiat, reditura. Tu, Vir Generoſiſſime, ſi qua erunt, quæ viciſſim ex illo Anthologio deſcripta habere velis, aut ſi ulla alia in re obſequia Tibi mea probare potero: jure Tuo jubebis. Catalogum Tuum, cum vix inſpexiſſem, miſi amico, cui idem magis, quam vellem, arriſit: nam adhuc non reſtituit, eoque, ne cum pluribus communicare poſſem, impediit. Wigulei Hundii metropolin, ſi forte etiamnum quæris, vidi haud pridem in parte catalogi Bibliothecæ, quam Halæ

Sue-

Suevorum copioſiſſimam, etiam in Hiſtoricis, ut arbitror, Nobiliſſimus Dn. La Corne æquiſſimo pretio particulatim vendit. Mitti etiam ex his locis, ſi juſſeris, poterit Alberti Düreri Geometria pictoria, ed. Wechel. Pariſ. in fol. Contarenus de rep. Venet. Italice, Cominæus Gallice, Pontus Heuterus, J. Betlenius, Conr. Peutingerus, Petrus Meiſſæus de Electoribus, Berneggerus de Idolo Lauretano, Alb. Gentilis de armis Romanis. Sed epiſtolam ſcribo, non catalogum: quem tum demum mittam, ſi mittendum ſciero. Habet ejusmodi ſcriptores nonnullos meus et amicorum apparatus, et miniſtrabit Tibi vel emptionis jure, vel permutationis, cujus legem ab æquitate Tua ferri, v. gr. ſi alphabetum alphabeto penſetur, facillime patiar. Tum, ſi de MSS. aliquid indicii faciendum eſt, amicus quidam meus habet Evangelium Johannis, Græce, olim in Monaſterio Hirſaugienſi ſcriptum; et Cosmographiam, litteris valde intricatis, græcobarbaro, ut apparet, ſermone concinnatam: quorum libellorum copiam Tibi non difficili conditione futuram eſſe puto. Porro Memmingæ antiſtes fuit, Heiſſius nomine; apud cujus hæredes, haud variis ductus argumentis, nonnul-

la

la ejus generis jacere ſuſpicor. Illo ſe facile porriget induſtria Tua.

Mihi ſi in locis illis N. T. et in narratione Gregoriana gratificari volueris, Vir illuſtris; fideliter perferet mittetque ad me Mezlerus bibliopola Stutgardianus, ejusve procurator, et pretium pro deſcribendo debitum confeſtim, ut par eſt, Tuis perſolvet. Vale. Scrib. Denckendorfi, die 31. Mart. 1722.

CCXVIII.

JO. ALBERTO BENGELIO.

Quas nuper ob varia impedimenta nundinarumque ſtrepitus addere non licuit reſponſorias, eas nunc demum, quod pro ſingulari humanitate Tua haud ægre feres, exhibeo, ſimulque pro transmiſſa eleganti Panegyrici Gregoriani editione gratias quam maximas ago. Interim Tibi bene redditum per bibliopolam eſſe codicem, quem deſideraveras,

Græ-

Græcum, nullus dubito. Etſi enim præfixæ catalogo leges adductæque in epiſtola eidem præmiſſa rationes haud frivolæ aliud ſuadeant, Tuis nihilominus petitis deferendum duxi, ut cognoſcas, quanta mea in Te benivolentia, quantaque apud me ſit bonæ fidei Tuæ exiſtimatio. Curabis autem, ut codex ille non modo ſartus, tectus, atque intemeratus, ſed in tempore etiam ad me redeat, ne juſto diutius eodem carere cogar. Pignore a Te oblato opus non eſt, quod ſi vero vel pretio vel permutationis jure codicem forſan hunc cedere velles, rem ſane faceres gratiſſimam, cum curtam Græcorum codicum ſupellectilem adaugere percupiam. Tuis ille uſibus, etſi meis accederet, ſemper pateret, Tu vero inſigne bibliothecæ meæ ornamentum, æternumque Tuæ erga me benivolentiæ monumentum ſtatueres. Quod ſi vero, ut pro lubitu facies, iſto codice carere nolis, hoc ſolummodo peto, ut hiſtoriam converſionis Iberorum ex benivolo promiſſo Tuo deſcribendam cures. Loca, de quibus in adjecta ſchedula quæſiviſti, in codd. meis novi Teſtamenti evolvi, lectionesque, quas habent, annotavi. Hundii Metropolim, ac reliquos, quos e catalogo Dn. de la Corne nominas, libros omnes jam poſſideo.

Gene-

Genealogia Bavarica Hundii eſt, vulgo *Bayeriſcher Stammbaum*, quam deſidero. Quod ſi vero eorum librorum hiſtorico-politicorum, quos Te amicosque permutare velle ſcribis, indicem dare, et e catalogis meis, codici nuper additis, alios pro iisdem ſeligere velles, honeſtum tale commercium utique jucundum foret, quamvis diffitendum non ſit, plurimos ex libris meis aliis jam ceſſiſſe. Erunt tamen adhuc, qui vobis arrideant. Evangelium Græcum ac Coſmographiam Græco-Barbaram minime reſpuo, ſi modo æquo haberi pretio queant. Rem quoque præſtares gratiſſimam, ſi de MStis, quæ Heiſſius Memmingæ reliquit, penitius edocere velles, cum neminem ſciam habeamque, cui id committere poſſim. Elapſis nundinis inſignem mihi epiſtolarum eruditorum virorum theſaurum ac alia MSta e bibliotheca illuſtris OBRECHTI comparavi, quorum pleniorem notitiam, ſi placet, proxime dabo, cum jam temporis anguſtia id non permittat. d. 19. Maii MDCCXXII.

CCXIX.

CCXIX.

JO. ALB. BENGELIUS.

Liber MS. cum catalogis die XIX. maji, tum litteræ cum excerptis locorum N. T. eodem die illo datæ, die XXX. maji redditæ ſunt mihi, multiplici raræ, in tam illuſtri faſtigio, humanitatis argumento. Gregorianum opuſculum deſcripſi: quod etiamſi a Gregorio illo Thaumaturgo non eſt, ut multa mihi perſuadent, tamen complura me docet. Atque multo majus operæ pretium tuli ex aliis hujus Codicis partibus: quarum una, quæ a Macario eſt, ſumme Rev. D. Pritio ad augendam Macarij, quam parat, novam editionem fortaſſe inſervire poſſet. Nunc ſine longa mora eum, ut par eſt, remitto, maximasque Tibi, Vir Generoſiſſime, ut debeo, gratias ſubmiſſe ago, quod non aliqua ſolum ex parte voti me mei compotem feceris, ſed tantum fidei mihi nil tale promerito habueris, ut ipſo plane codice miſſo, ab æquiſſimis me legibus Bibliothecæ Tuæ exciperes. Pro catalogis egregiis mitto indiculum librorum, e quibus, ſi quos

Tibi arridere ſignificaris, eos ſubmittam. De Tuis, rogo, ut hi, niſi jam avolarunt, ſeponantur; rogaturus poſtea, brevi fortaſſe, ut mittantur: num. 62. Allix. 97. Montanus. 130. Pet. Fabri. 190. Bugenhag. et Brentius. 314. Lambertus. 342. Druſii annot. in N. T. 357. Capellus in Ep. ad Ebr. quorum nonnullos pecunia mihi vendicabo, ſi libros non offero idoneos. Contra, quantumcunque numerum de hac mea ſemicenturia requires, is tamen non eo excreſcet, ut non ex Catalogis Tuis ſumere cogitem alios plures. Pretii a me perſcripti proportio ſi non ubique æqua videbitur; non recuſo, quin aut Tuo id arbitrio conſtituatur aut permutatio ineatur pro alphabetorum et plagularum numero. Anthologium cum iis, quos requires, mittam; tantiſper enim eo uti neceſſum habeo: et mittam ea lege, quæ tum, ut ſpero, æquitati Tuæ ſe probatura ſit. Nam pro hac quoque charta papirus mihi ſatisfaciet. Quæ autem illa et quanta ſit futura, malim abs Te, Mecænas, quam a me definiri; ſed ita, ut ne in meas ſis propenſior partes, quam in tuas. Scire autem velim, quo tempore, qua vectura a me mitti velis ea, quæ deſiderabis. Ea quum mittam, ſimul ſignificabo, quomodo ſeptem illi,

quos

quos ſeponendos modo rogavi, cum pluribus, quos deſignabo, ad me mitti cupiam. Neque enim video, quæ iniri poſſit ratio Tibi, Vir illuſtris, opportunior. Ex MS. Apocalyptico unum capitis IV. verſum octavum, ſi non grave, iterum deſcribendum cures, rogo. Valde enim ſuſpicor, in nervo quodam, de quo inprimis quæro, non tam codicem Tuum a ceteris, qui omnes *καὶ ὁ ὢν* habent, quam excerptum, in quo *καὶ ὁ ὢν* abeſt, a codice diſſonare. De duobus MSS. qui Codicem Tuum comitantur, otium mihi ultro fecit Collega meus: nam ipſe ſcripſit. Ab illo ut hodie eos accepi, non ingratam obſervavi congruentiam hujus exemplaris Johannei cum Trithemiano, eodem fere tempore et fortaſſe etiam loco Trithemy-manu ſcripto, quod poſt Millium ceteroſque in ſua editione N. T. memorat Reineccius. Vtinam de Memminga ſimiliter poſſem ſatisfacere; tentavi ipſe quondam per amicum, qui mihi, cum Anthologium illud tradidiſſet, ſignificarat, ſe daturum operam, ut plures ejusmodi libros illinc mihi compararet: ſed nil effecit, non quo illi, quibuscum agendum erat, hæc tanti facerent, ſed, opinor, quod aliis negotiis vacarent. Deinceps quievi, mea cauſſa: nunc Tua,

illuſtris Domine, ſi aut conandi aliquid aut impetrandi tempus ſe obtulerit, eo potius utendum fore puto, quam incertam ſpem oſtendendam eſſe. De acceſſione Bibliothecæ Argentinenſi gratulor: et, ſi qua erunt, quæ ſine moleſtia impertire poſſis, præſertim ad illuſtrandum N. T. Græcum, in quo maxima pars curarum mearum verſatur, idonea; novo me beneficio obſtrictum arbitrabor. Sed illud multo vehementius opto, ut omnium copiarum Tuarum fructus, Deo ſoſpitante, ad eccleſiæ reique publicæ incrementum faciant, et inde in Tuam ipſius ſinceriſſimam diutinamque voluptatem reciprocentur. Vale. Dab. in Cœnobio Denckendorfino die V. Junii A. MDCCXXII.

CCXX.

JO. ALBERTO BENGELIO.

Rediit ad me codex meus non modo ſartus tectus, ſed et binis codicillis, quos Tuo omnino favori debeo, ſtipatus.

Gra-

Gratias eo nomine et Tibi et Honorat. Domino Collegæ Tuo habeo maximas. Meum illum Tibi non fuiſſe inutilem, lætor, polliceorque plures, quæ Tua juvare poterunt ſtudia, lubentiſſime conceſſurum. Utinam libros, quos e catalogis ſelegiſti, offerre quoque liceret! Aſt illi omnes V. Cl. Dantzio, Schudtio, et Majo meo olim ceſſere; ut enim nuper monui, dimidia horum librorum pars jam diſtracta eſt. Alios igitur, eosque plures notabis. Quæ e Tuis mihi arrideant, rubra ſubduxi linea, ſervabis vero eosdem, uſque dum videamus, num ex meis Tibi ſatisfieri queat. Anthologium, quod tam benivole ſpondes, acceptiſſimum quoque erit, retinebis vero et illud, quamd' uſus ejus neceſſarius adhuc Tibi videl. tur, ac ipſe pretium conſtitues. Satis eſt, quod MStum hoc cedere, meumque qualemcunque adparatum augere velis. Probandus omnino in hoc eſt animus Tuus liberalis, cum aliorum invidiam mirari ſatis nequeam, qui unum alterumve codicem nacti, illum premere, ſibique in obſcuro ſervare, quam publicis vel aliis inſtructioribus et ad communes uſus comparatis bibliothecis inferre malunt. Ita multos novi codices optimos, qui a poſſeſſoribus invidis detinen-

tinentur, quamvis neque ipſi iis utantur, neque aliis uſum eorundem permittant. Codicem meum N. T. juſſu Tuo denuo inſpexi, verba vero illa, de quibus quæris, omnino in eo deſiderantur. Quod in libros Memmingæ inquirere mei cauſa denuo velis, ſingularem omnino Tuam erga me benivolentiam agnoſco quidem, nolim vero, nimias ea de cauſa moleſtias ſubeas. Magno autem opere Tibi me devincies, ſi per te Mini CELSI Senenſis Diſputationem de hæreticis coercendis, quam diu jam fruſtra quæro, ac perſonati Martini BELLI de eodem argumento farraginem undecunque æquo pretio nanciſci mihi liceat. MSta, quæ Argentorato nactus ſum, ad hiſtoriam, jus publicum ac rem literariam potiſſimum ſpectant. Sunt etiam nonnulla critica, aſt ad profanos auctores ſpectantia. Ad ſacrum vero codicem facientia nulla ſunt, alias Tuis omnino uſibus paterent. Tibi enim perſuadeas velim, mihi nihil magis curæ cordique eſſe, quam ut qualicunque apparatu meo literario publicum ornare atque augere, doctorumque virorum ſtudia eo collimantia adjuvare queam. Quod ut erga Te præſtem, non modo laudabiles mihique perſpecti conatus ſuadent,

dent, ſed Tua etiam in me merita plane exigunt. Præſtet Te modo Numen T. O. M. ut eccleſiam, ac rempubl. literariam porro ornare queas, quam diutiſſime ſalvum atque incolumem! Vale ac me amare nunquam deſine. d. 7. Julii. MDCCXXII.

P. S. Coſmographicum illud compendium, quod ab Honorat. Dño. Collega Tuo recepi, non Græca, ſed Moſcovitica lingua, literis vero Græcis, quibus Ruſſi haud raro utuntur, conſcriptum eſſe, MAJUS meus certiorem reddidit.

SPICILEGIVM
de
MINO CELSO SENENSI.

Mentio fit in ſuperioribus literis Mini CELSI Senenſis Diſputationis: In hæreticis coercendis quatenus progredi liceat; ubi nominatim eos ultimo ſupplicio affici non

non debere aperte demonſtratur. Illius ſumma raritas vel inde pateſcit, quod b. VFFENBACHIVS, indefeſſus pariter ac feliciſſimus librorum minus obviorum ruſpator, eam, licet ſedulo multorum annorum ſtudio inveſtigatam, nanciſci haud potuerit, quod ex ejus catalogo apparet. Luculenter, niſi omnia me fallunt, diſſertatione epiſtolari ad Illuſtrem, dum viveret, Academiæ Georgiæ Auguſtæ Cancellarium D. Jo. Laurentium a MOSHEIM, cujus jacturam orbis eruditus mecum graviter dolet, Ulmæ A. MDCCXLVIII. typis exſcripta, evici, MINI CELSI SENENSIS nomen haud adſciticium, ſed ipſius auctoris proprium eſſe, quod præter alios ipſe b. MOSHEMIVS, Vir nunquam ſatis laudandus, ſuffragio ſuo, πολλῶν ἀνταξίῳ ἄλλων, approbavit (m).

In-

(m) *In den neuen Nachrichten von dem berühmten Spaniſchen Arzte Michael SERVETO, der zu Geneve iſt verbrannt worden.* p. 81. ſqq. conf. Ejusdem *Anderweitigen Verſuch einer vollſtändigen und unpartheyiſchen Ketzer - Geſchichte.* p. 296. ſqq.

Interim vero de illo nonnihil, quod cum lectoribus meis hac occaſione communicare operæ pretium duxi, ex libro paucis cognito didici, cujus en titulum: *Le Rime di Meſſer Luca CONTILE, diviſe in tre parti, con diſcorſi et argomenti di M. Franceſco PATRITIO et M. Antonio BORGHESI. Nuovamente ſtampate. Con le ſei Canzoni dette le ſei Sorelle di Marte. In Venetia.* MDLX. in 8. Part. III. p. 68. b. extat Lucæ CONTILIS, itidem Senenſis, carmen, quale Itali *Sonetto* appellitant, ad CELSUM noſtrum, quod hic exhibebimus:

Sel parlar ſaggio tuo ſpeſſo non odo,
CELSI mio vertuoſo, onde te penſi,
Ch' addormentati del mio corpo i ſenſi;
Mi paſſi il cor qualch' amoroſo chiodo.
Sappi che dentro non mi doglio, o rodo,
Perche ſenta io d' amor gli ſpirti accenſi,
O, perche la fortuna non diſpenſi
Col cielo i ſuoi teſori a noſtro modo,
So che Dio tiene in man gli ſpirti noſtri,
Le ſtelle i corpi, e ſolo io mi diſpero,
Ch' in darno s' affatichi l' huomo ſtolto.
E ſe adivien che lieto io mi ti moſtri,
Credimi, ſe ſi dee credere al vero;
Che' l' bramar poco mi diletta molto.

Antonius BORGHESIUS in argumento

to hujus carminis p. 88. hæc habet: *Scrive à M. MINO CELSI Gentilhuomo Seneſe et Ambaſciatore in Milano per la ſua Republica nel tempo del gran Marcheſe del Vaſto. Il quale vedendo l' Autore aſſai ſtimato, diſcorreva con eſſo, in che modo potrebbe farſi grande, et anco lo conſigliava, ma vedendo che l' Autore non gli riſpondeva, dubbitava che ciò non cauſſaſſe amore. Egli conclude che ne fortuna ne amore lo moleſtano, ma che è contento in bramar poco di queſte coſe tranſitorie.*

Hinc videre eſt, CELSUM noſtrum non fuiſſe hominem e trivio, et plebeji ſeminis pullum, ſed nobili loco natum, et honoribus eximiis inter ſuos cives decoratum, Legatum quippe Reipublicæ Senenſis et Oratorem ad Alfonſum Davalum, Marchionem Vaſti, Ducatus Mediolanenſis Præſidem regium, qui A. MDXLVI. e vita exceſſit, in gravi cauſſa miſſum. Quum vero ante hunc annum eam CELSUS legationem geſſerit, in alto jam dignitatis gradu conſtitutus, ac anno demum MDLXIX. patrios focos religionis cauſſa relinquere coactum ſe viderit, quod in citata diſſertatione p. 29. ſqq. demonſtravi, jure hinc colligimus, illum, ætate tum jam ſatis provecta, amore Chriſti et evangelicæ veritatis ductum, non ſolo tantum natali, ſed opi-

opibus etiam ac honoribus terrenis nuncium miſiſſe.

De ipſo autem rariſſimo ejus libro, Chriſtlingæ A. 1577. in 8. typis excuſo, annotare juvat, unam tantum ejus editionem extare. Nam licet altera, cura Valentis Titi Ligii, A. 1584. prodiiſſe feratur, ex *αὐτοψία* tamen et ſtudioſa collatione comperi, non niſi ipſam illam Chriſtlingenſem hic denuo exhiberi, titulo duntaxat novo præfixo, et præfatione Valentis Titi Ligii, cum ejusdem argumenti Theodori BEZÆ et Andreæ DVDITII epiſtolis duabus ſibi invicem contrariis, præmiſſa, omiſſa vero hic præfatione, typographi nomine a J. F. D. M. D. ſcripta, quæ in fronte Chriſtlingenſis editionis comparet.

Obſervavit Clar. Samuel ENGELIVS in rariſſimorum librorum Catalogo p. 70. in ſuo exemplari ſub ultimæ paginæ finem pro cuſtode, ut ajunt, adeſſe literas ANO- Idem illud non in meo tantum exemplari, ſed duobus etiam, quæ vidi, aliis animadverti. In meo prætere adſunt manifeſta duarum pagellarum exciſarum veſtigia, ut adeo dubium mihi non ſit, cenſoris forficula Anonymi cujus-

cujusdam verba, coronidis loco adjecta, eſſe ſublata.

Tandem hoc unum addo, b. VFFENBACHIVM, qui CELSI noſtri Diſquiſitione typis exſcripta potiri nequivit, illius verſionem Anglicanam manu exaratam poſſediſſe, quod ex Catalogi ejus tomo III. p. 713. patet.

CCXXI.

D. JO. GEORGIVS SCHERZIVS.

Nobiliſſimi duo Juvenes, qui haſce tibi offerunt, me, cum in familiari colloquio Tui, ceu veræ eruditionis Statoris, mentio eſſet injecta, rogarunt, ut ipſis aliquid literarum ad te perferendum traderem. Huic honeſtiſſimo petito eo promtior morem gero, quo diutius ſilentium adhuc ſervavi. Eos itaque tuæ benevolentiæ atque favori de meliori nota commendatos eſſe cupio. Cæ-

Cæterum ſi, Vir Illuſtris, vales, bene eſt; ego ex aliquo tempore non admodum firma utor valetudine. Dira enim febris intra novem menſes bis jam me per aliquod tempus male habuit. Antiquitatum German. ſtudium ſtrenue adhuc, nec ſine fructu, colo. Nuperrime MS. membranaceum, quod continet relationem belli, a Carolo M. cum Saracenis geſti, rhythmis Germanicis conſtantem nactus ſum. Auctor ejus eſt STRICKERE, qui ante 600. annos vixit, ceu GOLDASTVS, qui ex hoc ipſo opere aliqua notis ſuis ad Parænetica inſeruit, arbitratur. Tu, ſi noſti,

Qui genus, unde domo, quibus ille advenerit oris,

benigne expone. Simul doce, annon in ampliſſima tua, aut alia apud vos bibliotheca extet aliquod MS. Speculi Suevici, antiquitate et ſcripturæ integritate venerandum. Unum adhuc addo. In non uno diplomate Germanico mentio fit *des Clibeltags* (n), qua denotatur dies Annun-

---

(n) Fruſtra quæritur hæc vox in Gloſſario Teutonico Schilteriano, SCHERZII etiam obſervationibus aucto. Cel. HALTAVSIVS in Calendario medii ævi

Annunciationis Mariæ ; aſt originem nominis indagare non poſſum. Tu, ſi vacat, Oedipum age, et tenebris hiſce lucem affer : ſimul trade, quid ſit *der Gaile Montag*, cujus mentio fit apud Bernh. HERZOG in Chronico Alſat. Lib. II. Cap. 70. Mihi videtur, denotari diem Lunæ, quæ antecedit *le Mardi Gras*. Sed tuam expectare fas eſt ſententiam. Argenter. d. 9. Maj. 1719.

CCXXII.

D. JO. GEORGIO SCHERZIO.

Non potui non, quin acceptiſſimarum tuarum latores omni benivolentia excipe-

---

vi p. 75. ſqq. derivat eam a voce *bekleiben*, i. e. *concipere*, quia hoc die Maria poſt factam annunciationem credendo ſtatim Chriſtum concepit. conf. Celebratiſſimi Civis mei, Jo. Georgii WACHTERI Gloſſarium Germanicum, col. 845.

perem, utpote a quibus jucunda de te rebusque tuis nuncia ſperabam. Fefellit tamen, quod dolebam, opinio, cum non ab illis ſolum, ſed ex ipſis etiam literis tuis intellexerim, te cum adverſa hactenus valetudine conflictatum. Dolui vicem tuam, moerorem vero mitigabat, quod victorem te viderem, ac ingratum hoſpitem vel potius truculentum hoſtem fugaſſe cognoſcerem. Spes quoque eſt, te non modo illum eliminaſſe, ſed totum quoque corpus ita purgaſſe, ut ab omnibus Morbonæ inſultibus multos in annos, quod ex animo voveo, liber permaneas. De rhythmica bellorum Caroli M. hiſtoria, eſt, quod tibi, Vir Magnifice, ac mihimetipſi gratuler. Accipe enim rarum felicitatis exemplum. Idem, quod tibi fortuna benigna fecit, et mihi largita donum eſt, eodem plane, ut conjicio, tempore. Nuperrime Codicem tuum te nactum ſcribis: ego vero meum elapſis demum nuperis nundinis adeptus ſum. Elegantior quidem ac præſtantior tuus Codex videtur, quod membraneus ſit, meus vero etſi chartaceus antiquioris tamen et bonæ notæ eſt, ac in hoc tuum antecellit, quod plura complectatur (o). Continet

(o) vid. Bibliothecæ univerſalis Vffenbachianæ Tom. III. p. 540. ſqq.

tinet enim præterea Wolframi ab ESCHENBACH Hiſtoriam Wilhelmi Narbonenſis rhythmicam, et acta Barlaami et Joſaphat rhythmis quoque vetuſtis Germanicis conſcripta. Quis auctor STRICKÆRE (ita enim in præfatione mei Codicis ſcriptum legitur), tecum ignorare cogor. Omnes fere hiſtoriæ literariæ ſcriptores, quos ſingulari plane ſtudio, nec minori felicitate undique conquiſivi, conſului, aſt altum ubique de noſtro ſilentium. Non contemnendum Speculi Suevici exemplum (p) inter reliquas Legum Germ. vett. collectiones, quibus bibliotheca mea ſuperbit, in MStorum meorum Catalogo (cujus partem priorem, quamprimum prelum, ſub quo ſudat, evaſerit, transmittam) offendes. Etymologia vocis CLIBELTAG obſcura ac difficilis. Si per G ſcriberetur, conjectura eſſe poſſet, diem amoris denotare a *lieblen* (*geliebelt*), quod Deus per annunciationem Mariæ factam amorem ſuum in genus humanum evidentius teſtatus ſit. Sed levis, ac, ut verum fatear, inepta conjectura eſt, quæ nullo modo mihimetipſi probatur. Alteram vocem optime interpretatus es. *Gail* enim

(p) vid. l. c.

enim non libidinoſum ſolum, ſed luxurioſum etiam denotat. Ita dicere etiam ſolemus: *die Speiſe iſt mir zu geil, wenn ſie zu fett oder zu maſtig iſt.* Item: *die Erde oder dieſer Boden iſt zu geil* &c. Eadem igitur ratione Germani veteres diem Lunæ *gail* appellarunt, qua Galli diem ſequentem *Mardy gras* indigitarunt. Paucos ante dies ſcripſit ad me Vir Cl. J. G. ECCARDVS, ſignificans, ſe Legem Salicam commentario illuſtraſſe, ac ad reliqua etiam jura, qualia LINDENBROGIVS conlegit, vett. Germanorum quidquam meditari. Petiit etiam, ut, ſi vett. earundem Legum exempla ipſe haberem, concedere, vel ab amicis procurare velim, ut cum editis conferre queat. Aſt nullus mihi Codex eſt, qui illarum legum, quas quærit, quidquam habeat. Quodſi Tu, Vir Conſultiſſime, ſuppetias ferre poſſes, rem non ſolum ipſi mihique, ſed univerſo orbi literario præſtares jucundiſſimam utiliſſimamque. Quod quin lubenti facturus ſis animo, inſignis tua, quam probe expertus jam ſum, humanitas me dubitare non ſinit. d. X. Jun. MDCCXIX.

CCXXIII.

D. JO. GEORGIVS SCHERZIVS.

Qui haſce tibi offert, eſt Dn. SCHUMACHERVS, Colmarienſis, olim diſciplinæ meæ alumnus, nunc potentiſſimi Ruſſorum Monarchæ Bibliothecarius. Ille cum confectis Domini ſui (qui eum in Galliam miſerat ad offerendam inclytæ Scientiarum Academiæ Mappam Caſpii Maris accuratiſſimam) negotiis (q), nunc per urbem veſtram ad Lares Petriburgicos rediſre deſtinaverit, a me petiit, ut ipſi ad te viam aperirem. Honeſtiſſimo huic ipſius petito cum deeſſe non

(q) Demandatum ipſi quoque erat, ſpecimen Codicum MSS. a Moſcis prope mare Caſpium inventorum in itinere ſuo Philologis, exoticarum linguarum peritis, oſtendere, illorumque de eo ſententiam explorare: de quo vid. Acta Erud. A. 1722. p. 374. ſqq. et 417. ſqq. *Hiſtorie der Gelehrſamkeit unſerer Zeiten*, faſc. V. p. 387. ſqq. et Theſauri epiſtolici La Croziani Tom. III. p. 286. ſqq.

non poſſim, ſciamque, qua promtitudine omnes Eruditos ad humanitatis tuæ uſuram admittas, eundem tibi de meliori nota commendare ſuſtineo. Eo magis autem ſpero commendationi meæ locum datum iri, quo gratius tibi erit, myſteria Ruſſorum ex homine erudito et experientia rerum probe munito cognoſcere. Id ſane recipio, te favoris tui uſum non in ingratum eſſe collaturum. Cæterum ſummo te etiam, Vir illuſtris, rogatum cupio opere, ne ægre feras, quod nondum reſtituerim Speculum Suevicum MS. Confero illud de verbo ad verbum cum meo et impreſſo Hupfuffiano, quæ res aliquam moram exigit. Quam primum hoc labore ero defunctus, eundem tibi cum literis grati animi indicibus remittam, ſimulque, quantum profuerit hæc collatio, indicabo. Argent. d. XV. Dec. MDCCXXI.

CCXXIV.

D. JO. GEORGIO SCHERZIO.

Quas velut grati animi teſtes nuper addere debuiſſem literas, eas nunc de-

mum ad te mitto, ſperans, te eas, etſi tardiores, haud minori benivolentia admiſſurum. Nullus autem dubito, Leerſium bibliopolam veſtratem codicem tuum ſartum tectum jam reddidiſſe. Ego vero pro benivolo ejus uſu gratias tibi non modo habeo, ſed nunc etiam ago maximas. Ut aliquo easdem modo perſolvere poſſim, omnem adparatum literarium meum tuis viciſſim uſibus offero, addita pollicitatione ſanctiſſima, nil in illo exiſtere, quod tibi ſim denegaturus. Parem in te eſſe erga me favorem perſuaſus, contendere abs te nullus dubito, ut novum vel rhythmicum vel veterem alium Codicem Germanicum hiſtoricum, quibus me præ aliis delectari noſti, e divite ſuppellectili tua data occaſione concedere velis. Nuperas commendatitias tuas eo, quem omni tempore merentur, effectu non caruiſſe, lator earum procul dubio ſignificavit. Quod a memetipſo factum non eſſe, haud ægre feres, ſilentiumque variis hactenus negotiis diſtracto condonabis. Speculum meum Suevicum uſui tibi fuiſſe, lucemque reflexam tuo attuliſſe, lætor, nec erat, quod moram excuſares. Quodſi vero nunc, abſoluto collationis labore, Codicem illum remittere velles, jucundum id foret amico cuidam, qui ejus videndi deſiderio

rio flagrat. Nihilominus tamen eundem, ſi opus adhuc ſit, aliquandiu retinere poteris. Inter alia MSS. egregia, vetera atque recentia, quæ nuper nactus ſum, fuerunt quoque octo ſpiſſa volumina, quibus maximopere delector. Exhibent illa Acta comitialia (r) varia, in ipſis Comitiis a viro celeb. Jo. Alberto PORTNERO ſummo ſtudio conlecta. De iis, quæ ex Ill. OBRECHTI Bibliotheca hiſce nundinis titulo emtionis ad me pervenerunt, multa ſcribere ſuperſedeo, cum ea te latere nequeant. Haud contemnendam ad alterum Bibliothecæ MStæ tomum (qui proxime, ut ſpero, prelum ſubibit) acceſſionem illa conſtituent. Eum, ſi Deo volente abſolvetur, ſuo tempore transmiſſurus ſum. d. 26. Maji. MDCCXXII.

(r) vid. Biblioth. univerſalis Vffenbach. Tom. III. p. 606. ſq.

CCXXV.

JO. DAV. KOELERO,

Hiſtorico Altorfino , ac tandem Goettingenſi.

Sæpius equidem animus fuit, literis Te compellare, Tuamque amicitiam ambire, invitabant quoque JOANNIS noſter, dulci commercio Tuo literario gaudens, Glauburgiique, inſignem humanitatem Tuam, quam in nuperrimo tranſitu experti ſunt, deprædicantes, nolui tamen ſine ratione egregia Tua ſtudia hactenus turbare. Anſam vero dederunt nunc duo juvenes eruditi, hic tranſeuntes, bibliothecamque meam perluſtrantes, qui cum qualemcunque meum librorum ſuſpectæ fidei adparatum viderent, certiorem me reddiderunt, in bibliotheca veſtra Academica, cujus cura, in ſummum ejusdem ornamentum, Tibi demandata eſt, extare MStum quoddam curioſum magicum, *l' Empire des Demons* inſcriptum, a Domino quodam Schulenburgio dono datum. Cujus cum penitiorem habendi notitiam deſiderium inceſſerit, rogandum Te duxi, ut eam beni-

benivole impertire velis. Præter alios hujus furfuris libros nactus nuper ſum TRITHEMII Steganographiam MStam. Perſonatus ille MARVILLIVS in libro alias eruditiſſimo *Melange d' hiſt. et de liter.* Tom. II. p. 323. GAFFARELLVM refutare ſatagit, quod dixerit, TRITHEMIVM in Steganographia apparitionem ſpirituum aſſerere, cum tamen TRITHEMIUS de illa ne quidem cogitarit. Aſt fallitur Marvillius, cum GAFFARELLVS de Steganographia mea MSta loquatur, is vero editam, quæ de arte cryptographica, tecte ſcilicet per ſigna, numeros &c. ſcribendi, tractat, intelligat. Nam MSta illa, quæ in bibliotheca mea extat, omnino de magicis pleniſſime et ſuperſtitioſe ſatis agit. In Lexico Eruditorum, vulgo *Gelehrten* Lexicon, quod Lipſiæ ſub auſpiciis Cl. V. MENCKENII 1715. 8ct. prodiit col. 2318. legitur: *die Steganographiam hat Franciſcus JVNIVS aus unzeitigem Eifer zu Heidelberg verbrant*: cum tamen, ſi et hic auctor MStum meum vidiſſet, JVNII Zelum non adeo improbaſſet (s).

 Plu-

(s) conf. hic omnino Jo. Chriſtoph COLERI Anthologiam. Tom. I. p. 390. ſqq.

Plurimos alios hujus commatis libros tum manu tum typis exaratos poſſideo, quos in altero tomo Bibliothecæ meæ MStæ enarrabo. Is brevi, ut ſpero, prelum ſubibit, Tibique non injucundus, ut confido, erit, quod hiſtorica, quibus Te maxime delectari ſcio, potiſſimum exhibeat. Si quæ tum in hoc, tum in priori volumine occurrunt, quæ eximia Tua ſtudia juvare poterunt, concedam utique, quæcunque ad uſus publicos juſſeris, lubentiſſime. Interim vale, ac Tui certe amantiſſimum redama. Dab. die 4. Aug. MDCCXXII.

CCXXVI.

JO. DAVID KOELERVS.

Prævenisti me ſumma humanitate tua, Generoſiſſime Domine, cum ſane in eo eſſem, ut Tibi literis deferrem obſer-

van-

ſqq. et Fr. Jac. BEYSCHLAGII Syllogen variorum opuſculorum, Tom. I. p. 916.

vantiam meam, et tuum mihi expeterem favorem, pariter incitatus ab amiciſſimo JOANNIDE, qui mihi aliquoties ſignificavit, Te mihi bene cupere, promtumque fore ad conatus meos genealogicos ex locupletiſſima bibliotheca tua egregie promovendos. Diligenter itaque Tibi non ſolum gratias ago pro inſigni tua benevolentia, quam mihi declarare voluiſti, verum etiam, ut eandem aliquatenus ſaltem demereri queam, lubens Tibi jam exhibeo libellum magicum, a Te deſideratum, quem bibliothecæ noſtræ Academicæ abituriens reliquit Schulenburgius, nunc Canonicus Magdeburgicus. Sed vehementer doleo, me nugis hiſce quisquiliisve erga Te officioſum eſſe. Mentitur enim levidenſe ſcriptum Fauſti nomen, qualis præſtigiator nunquam inter vivos fuit. In eo deſcribendo, provide modo, ut pii fidique hominis librariique opera utaris, ne fortaſſe, præter exemplar in tua bibliotheca reponendum, aliud quoddam turpi lucro ſceleſtoque uſui deſtinetur, quod certe vulneraret conſcientiam meam. Famoſam illam Steganographiam Trithemii in manus etiam potius tuas, quam alterius, incidiſſe, hac de cauſa lætor, quamvis firmiter mihi perſuadeam, impoſtorem quendam nomen Trithemianum libello

huic præpoſuiſſe, eo conſilio, ut celebritas autoris eo magis incautos falleret; vel fieri etiam potuit, ut inimici Trithemii iſtiusmodi nefarium partum ſuppoſuerint, quo citius infamarent literatiſſimum virum, et extinguerent lucem in tenebris ipſis valde inviſam. Pietas enim probitasque immortaliter de Germanica hiſtoria meriti bonique Trithemii quam longiſſime ab eo removet ejusmodi impietatis ſuſpicionem. Opuſcula ejus ſpiritualia longe alium indicant genium viri, quam magicis ejusmodi ſtudiis artibusque deditum. Cæterum ſalivam mihi valde moviſti promiſſo altero tomo incomparabilis tui catalogi. Faxit itaque Deus, ut propediem in rei literariæ augmentum, nominisque Tui non intermorituram gloriam iſte in lucem prodeat. Ego in conſignandis S. R. I. Comitum Dominorumque ſtemmatibus ſum occupatiſſimus, ſi ergo penes te lateant idonea ad hunc meum laborem ſublevandum ſubſidia, quod firmiter credo, me ſane Tibi obligatiſſimum redderes, ſi ea mecum in publicos uſus benevole communicares. Inſtituti mei rationem cognoſces ex adjecta ſcheda. Cæterum Te amari a me mirifice et coli, valde Tibi perſuaſum eſſe volo, neque me magis appetere quicquam, quam ut

meæ

meæ erga Te voluntati Tua mutuo perpetuoque voluntas in me amando reſpondeat. Vale. Altdorfi Norimbergenſium ad d. 10. Sextilis. A. 1722.

CCXXVII.

JO. DAVIDI KOELERO.

Singularis plane Tua eſt humanitas, quod aliquam ſaltim libri notitiam petenti ipſum codicillum transmittere non dubitaris. Agnoſco Tuum in me favorem eximium, illumque ſumma cum gratiarum actione reſtituo. Fidem quoque do, me quavis occaſione data allaboraturum, ut gratias debitas referam. Utinam vero non tanto locorum intervallo ſejunctus viveres, meoque qualicunque apparatu literario præſens uti frui poſſes. Curta equidem, fateor, in Genealogicis mea eſt ſupellex, eo major vero monumentorum hiſtoricorum atque diplomatum copia eſt, quod tum jam editus, tum vero alter catalogi tomus

mus potiſſimum commonſtrabit. Enotabis igitur, quæ ad eruditum palatum Tuum ſunt, egregiaque Tua ſtudia juvare poterunt, libereque a me expoſces. Nil erit, quod ſecundum leges catalogo præfixas ſum denegaturus. Interim ſi Joannidem noſtrum edocere velles, quæ Tuos publicosque in uſus excerpta velis, nullus dubito, quin lubens enotaturus ſit, quæ poſtea Tuo juſſu poterunt excerpi atque deſcribi. Ipſe quidem lubens id agerem, ac mei quoque amanuenſis operam offerrem, aſt tum publica, tum privata negotia tantum otii mihi non concedunt. Amanuenſis vero in deſcribendis iis, quæ mihi a Patronis atque amicis benivole conceduntur, occupatiſſimus eſſe ſolet. Cæterum vitam viresque ad illuſtrandas S. R. I. Comitum, aliasque Familias illuſtres ex animo apprecor. Opus ſane arduum eſt, quod tamen eo majorem Tibi conciliabit gloriam, ſi eo, quo coepiſti, conatu maxime laudabili telam perficere ſategeris. Novum, quod nuper dediſti, in familia Lucemburgenſi ſpecimen eximium plane eſt, Tibique gratias ago maximas, quod eodem me donare volueris. Cum vero reliqua, quæ hactenus ediditi, habere nondum licuerit, nil magis mihi in votis eſt, quam ut egre-

egregia Tua ſchediasmata in unum volumen conlegantur. Dum enim diſſertationes in academiis habitæ ad paucorum manus perveniunt, optime ſane faciunt autores, qui in corpus eas redigunt, ne ab eruditis vel ignorentur, vel fruſtra deſiderentur. Ita MOLLERI diſſertationes de PLATINA et Joanne ANNIO Viterbienſi aliasque in veſtra academia habitas ſummo deſiderio, aſt fruſtra hactenus expetivi. De libello magico a Te benivole conceſſo adhuc monendum, Te, minime debere eſſe ſolicitum, nec ullum metuendum abuſum. Etſi enim haud levis mihi copia ſit ejusmodi librorum ſuſpectæ fidei, in ſolum tamen bibliothecæ ornamentum eosdem aſſervo, neminique eorundem uſum concedere ſoleo. Quamvis enim otioſorum hominum figmenta, omnique ſucceſſu carentia credam, nec ulla damna ex illis metuenda cenſeam, ſuperſtitioſis tamen offendiculo eſſe poſſe exiſtimo. Steganographiam meam magicam quod attinet, ipſius TRITHEMII eſſe, præfixa ejus ad Comitem Palatinum epiſtola apologetica, geniusque ſeculi, quo vixit, perſuadent. Illis enim temporibus nugæ iſtæ tanto in pretio erant, ut vix quispiam pro erudito haberetur, ſi artibus ejusmodi ſecretis atque abſconditis non initiatus putaretur,

quod

quod Alberti M. Henr. Corn. Agrippæ, Campanellæ, Cardani, Poſtelli, Gaffarelli, Portæ, aliorumque, qui eruditione TRITHEMIO niſi ſuperiores, certe æquales fuerunt, evinci poteſt. Hi enim non modo magiam ſed æque vanam Aſtrologiam, ut vocant, judiciariam maximo in pretio habuerunt. Hæc etiam tam diu viguit, ut mirari ſatis nequeam, præſtantiſſimos ſuperiorum ſeculorum viros, atque inter hos ipſum Philippum MELANCHTHONEM, aſt quantum virum! eandem, ridente atque exprobrante LVTHERO, ſummo ſtudio excoluiſſe. Sed nolo hiſce Tibi moleſtus eſſe. Vale igitur, meque Tui amantiſſimum, uti cœpiſti, redamare perge. Dab. d. 10. Sept. cIↃIↃccxxII.

CCXXVIII.

JO. DAVID KOELERVS.

Non erat, quod tam humaniſſimas gratias ageres, Vir Generoſiſſime, de communicato ex bibliotheca univerſitatis noſtræ codicillo magico, et mihi nuper bene

bene reddito ; Tibi enim omnia debentur, qui ipſe es tam benevolus in promte cum aliis ex inſtructiſſima bibliotheca Tua communicando, quæ faciunt ad publicos uſus. Uterer quoque ego hac tua nunquam ſatis collaudanda indulgentia, niſi tanto intervallo a Te tuoque incomparabili muſeo disjunctus viverem. Expectabo tamen alterum catalogi Tui Tomum, eoque perlecto fieri fortaſſe propitiis fatis poterit, ut ipſe Tibi me ſiſtam ante limina ſacrarii Tui Muſarum, atque Te decenter exorem, ut ea mihi præſenti deſcribenda concedas, quæ ſtudia mea in illuſtranda hiſtoria Germanica juvare videbantur. Cæterum Tibi placere mea levidenſia ſcripta, mihi gratulor; mitto Tibi ergo eorundem indicem, ut ea indicare queas, quæ Tibi adhuc ex illis deſint. Fateor quidem, non omnium eorum ſuppetere mihi adhuc exempla; quæcunque tamen in manibus fuerint, Tibi erunt deſtinata. Providebo etiam, ut MOLLERI, anteceſſoris mei, diſſertationes de PLATINA et Jo. ANNIO, ſi forte hic occurrant, tibi transmittam, quamvis ipſe multo cum labore MOLLERI L. diſſertationes de claris ſcriptoribus collegerim. TRITHEMII Steganographiam in tuam bibliothecam translatam genuinam eſſe, nunc argu-

gumentis a Te allatis convictus cognoſco. Faxit Deus, ut ſæpius in manus Tuas incidant ſcripta ανεκδοτα talium ſummorum virorum, ne alibi vel pereant, vel æternis tenebris damnentur. Si Tibi non grave ſit futurum, oſtende, quæſo, eandem cum aliis κειμηλιοις præſenti viro juveni docto, et honeſto diſciplinæ meæ alumno, Goldnero, Baruthino, cui jam opes Tuas literarias ex prima parte Catalogi Tuorum MStorum in ſcholis meis literariis aliquatenus notas feci. Declarabit ille Tibi non ſolum oretenus uberius meam in te obſervantiam, verum etiam illuſtris tui nominis fama permotus tibi profitebitur deditiſſimi animi ſui cultum tibi jam pridem debitum. d. 26. Sept. 1722.

1. Iſocratis epiſtola ad Archidamum R. Lacedæm. in omnibus Iſocrateis editionibus ad hoc uſque tempus deſiderata, cum interpretatione gemina et notis quibusdam edita Vitembergæ A. 1706. in 4.
2. Specimen Archæologiæ Romanæ Altd. 1701. 4.
3. Diſſertatio I. de prognoſticorum Politicorum vanitate Altorfi A. 1711. 4.
4. - - de hoc argumento. ibid. A. 1712. 4.

5. Diſ-

5. Diſſertatio I. de Carolo Burgundo, Bellicoſo, ibid. 1712. 4.
6. - - de eodem. A. 1713. ibid. 4.
7. Controverſiæ Philoſophorum de intellectu puro A. 1713. 4.
8. Modus examinandi definitionem 1714. 4.
9. Disquiſitio de inclyto libro Poetico Theuerdanck A. 1714. auctior deinde recuſa A. 1719. 4.
10. Diſſertatio de pædantismo didactico Pythagoræ ratione ſilentii A. 1714. 4.
11. Programma de hiſtoria Pragmatica A. 1714. 4.
12. Familia Theodoſii M. Imp. A. 1715. 4.
13. Diſſertatio de donatione Mathildina 1715. in 4.
14. Diſſertatio politica de modo numerandi populum. A. 1715. in 4.
15. Diſſ. de Livia Auguſta 1715. in 4.
16. Diſſ. de Friderico V. Com. Palat. Rh. et El. affectante regnum Bohemiæ A. 1716. 4.
17. Diſſ. de philoſophia Marci Aurel. Antonini Auguſti in theoria et praxi A. 1717. 4.
18. Schediasma hiſtoricum de numismate Jacobi Grandis de Carraria, Domini Patavii, inter recentiores forte vetuſtiſſimo, expoſita ſimul ſucceſſione Carrariorum in dominatu Patavino. A. 1717 4.

19. Diſſ. de Johanne Rokyczana, famoſo Calixtinorum in Bohemia pontifice 1718. 4.
20. Diſſ. de Gerberto, primo Remorum, deinde Ravennatum Archiep. poſtea Rom. Pontifice Silveſtro II. ab injuriis ſcriptorum liberato. A. 1720. in 4.
21. Programma de Jo. Harduini Soc. Jeſ. nova ſed inepta interpretatione vaticinii ap. Danielem de LXX. Hebdomadibus A. 1721. 4.
22. Diſſ. de Nicolao Drabicio, neopropheta in Hungaria delirante et turbulento A. 1721. 4.
23. Genealogia Familiæ Auguſtæ Staufſenſis A. 1721. 4.
24. Hiſtoria Codicis Juris Statutarii ſive Reformationis Norimbergenſis. 1721. 4.
25. Familia Auguſta Lucemburgenſis. 1722. 4.
26. - - Franconica. 1722. 4.

CCXXIX.

JO. DAVIDI KOELERO.

Bene Tibi fuiſſe redditum MStum magicum, lubens non modo intelligo, ſed pro

pro benivola ejus conceſſione gratias denuo ago. Utinam vero brevi contingeret, ut, quemadmodum ſuaviſſimo certe evangelio mihi polliceris, ad nos excurrere poſſes, quo gratam Tibi mentem re ipſa comprobare poſſem. Maximo ſane cum gaudio omnem meum adparatum Tibi panderem, lubentiſſimeque, quæ ad egregia tua ſtudia facere poſſunt, concederem. Age igitur, et exoptatiſſima præſentia tua me Muſasque meas, quam primum fieri poterit, exhilara. Non poenitebit te, confido, ſuſcepti itineris. Ego certe nil omiſſurus ſum, quo tibi placere potero. Hoc unicum doleo, quod hoſpitium offerre nequeam, cum Apollo unacum novem ſororibus integram fere domum occuparint, repletis ſcilicet libris decem cameris. Summam humanitatem tuam mirari ſatis nequeo, quod non ſolum ſcriptorum Tuorum catalogum benivole transmiſeris, ſed ipſa etiam benigne offeras. Cum vero, ut ex adjecta ſchedula agnoſcis, maxima eorundem pars mihi adhuc deſit, efflagitare eadem vix audeo, ſed tibi relinquo, quæ ex illis concedere volueris. Auctior de libro *Theuerdanck* disquiſitio acceptiſſima ſane erit. Quinque diverſas ejus editiones poſſideo, primam ſcilicet Norimbergenſem,

ſem, Auguſtanam antiquam et recentiſſimam, et duas Francofurtenſes. Nuper etiam oblata fuit hæc Maximiliani hiſtoria manuſcripta, verſibus ſcilicet heroicis a JORMANNO Chiliarcha, urbisque noſtræ olim præfecto reddita. Doleo, me eam, ob iniquum, quod exigebatur, pretium, neglexiſſe, annitar tamen, ut mei eam juris adhuc facere queam. Inter cæteros libros, quos nuper nactus ſum, fuerunt quoque Gurtleri Origines, Wolfii Lectiones memorabiles, prima eaque rarior Actorum Lundorpii editio forma minori, quam quartam vocant, ac denique Gottfr. Arnoldi Hiſtoria Eccleſiaſtica. Quod ſi ex his Tibi quædam arrideant, lubens pro oblatis benivole ſcriptis tibi concedam, quod ea in mea bibliotheca jam extent. d. 10. Novembr. MDCCXXII.

CCXXX.

D. JO. LAVRENTIO MOSHEMIO,
Theologo tum Helmſtad. ac Abbati Mariævallenſi et Michaelſtein. tandem Academiæ Georgiæ Auguſtæ Cancellario.

Cum e ſchedula, literis a Cl. ISELIO Baſilea ad me nuper datis adjecta, intellexerim,

lexerim, de adornanda Davidis Georgii ſeu JORISII hiſtoria Te eſſe ſollicitum, ego vero ſcripta illius viri aſſeclarumque ipſius una cum aliis paradoxis tam ſtudioſe collegerim, ut eadem uno quaſi in nido ita coacervata vix alibi reperias, de iisdem te non modo monere, ſed illa ipſa etiam tibi offerre volui. Nullus enim dubito, quin hanc JORISII hiſtoriam pari diligentia ac illam SERVETI, quam tanto cum adplauſu omnes ſolidiora ſtudia amantes una mecum exceperunt, in lucem publicam ſis editurus, ad hoc vero præſtandum non modo ea, qua polles eruditione, ſed ſingulis etiam, quæ unquam vel proprio, vel alieno, vel denique ſuppreſſo nomine portentoſum illius ingenium enixum eſt, opuſculis omnino opus erit. Dum hæc vero non ubivis obvia, ſed ſatis rara ſint, permutationis jure eadem tibi lubens concedam, ſi forſan ex epiſtolico adparatu tuo, quo te ſatis inſtructum ex Cl. HASÆI Bibliotheca Bremenſi animadverti, nonnullarum copiam facere velles. Has etiam ea lege recepturus ſum, ut, ſi animus tibi adhuc foret easdem edendi, illas ipſas lubens omni tempore ſim largiturus. Quodſi catalogi mei tomos per inhoneſtam bibliopolarum invidiam, quam ubivis locorum ſatis experior, nondum

forſan poſſideas, eosdem lubens transmittam. Interim a Dominis Collegis tuis vel Domino HEISTERO vel FABRICIO illos petere, ac in tomi primi appendice ſcriptorum JORISII ſyllabum inſpicere poteris. Latere Te quoque nolo, me ante aliquot annos acta quædam inquiſitionis triſtiaque Caſimiri Lincynskii, ſeu, ut ab aliis ſcribitur nomen, Leszinskii, qui velut atheus capite plexus et combuſtus fuit, fata concernentia MSta (t) ex ipſa Polonia amici cujusdam eruditi ope nactum fuiſſe. Quod ſi hujus quoque hominis infeliciſſimi hiſtoriam, pro inſigni tuo in hiſtoria eccleſiaſtica ac literaria ſolidius excolenda ſtudio, illuſtrare volupe fuerit, ad nutum tuum non modo iſta patebunt, ſed omnis ſimul, quam mihi ſervandam ſtatui, librorum ſupellex, licet admodum decurtata. Plura de meo in te animo propenſiſſimo non addo, malo enim, ut experiundo cognoſcas, ac plane agnoſcas, quanta ex eo, quo ſcripta tua erudititiſſima elegantiſſimaque videre atque legere mihi contigit, tempore mea de te fuerit æſtimatio, quantusque amor ille ſit, quo te hactenus,

(t) vid. J. C. WOLFII Conſpectum Supellect. epiſt. et lit. MS. p. 243.

nus, licet tacite, ſum proſequutus. Jam vale, ac me Tui certe amantiſſimum redamare haud, obſecro te, recuſa. Dab. d. 20. Maii MDCCXXXII.

CCXXXI.

D. JO. LAVR. MOSHEMIVS.

Magna eſt ac ſingularis humanitas tua, vir Magnifice, qui me hominem mediocri loco inter eruditos poſitum, nulliſque adhuc meritis inſignem, litteris non modo amoris ac officii plenis ſalutare, verum etiam ſupellectilis tuæ librariæ haud ultimam partem benigne offerre haud gravaris. Ego quidem, niſi negotiorum et laborum meorum multitudo, quæ creſcit indies, obſtitiſſet, dudum benevolentiam mihi tuam, quam certatim chorus eruditorum univerſus appetit, litteris comparare, meaque qualiacumque ſtudia tibi commendare conatus eſſem. Nunc ut eruditione, ingenii præſtantia et munerum amplitudine, ita etiam humanitate et bene merendi ſtudio me a te vehementer ſuperari ſentio. Sed

cedo tibi facile palmam, ſumme vir, quem quotidiani labores et infinitæ moleſtiæ ſic plerumque deprimunt, ut vix eo aſpirare audeam, quo confident illi, qui eruditi appellantur: quumque re nulla alia tantam erga me benevolentiam tuam remunerari queam, animum ſpondeo tui obſervantiſſimum, voluntatemque promtiſſimam mandatis Tuis, ſi modo potero, obſequendi. De Davidis GEORGII, hominis fanatici, vita conſcribenda numquam cogitavi. Vener. ISELIVS vero mihi pollicitus eſt conſilium Bonif. AMERBACHII, quod Senatui Baſilienſi rogatus dedit, quum quæreretur in Senatu, quonam ſupplicio cadaver GEORGII afficiendum eſſet, ut eo in Hiſtoria SERVETI uterer, quam denuo multo auctiorem adorno, quam prodiit adhuc, et ætatis illius mores et rationes cognoſcerem. Non mihi animus deeſt cerebroſorum ejusmodi hominum, qualis GEORGIVS fuit, ſcripta colligendi: ſed quum mecum cogito, quam exiguum ſit illud, quod mihi conceditur, otium, voluntatem iſtam diminui ſentio. Index Bibliothecæ tuæ totus a me haud perluſtratus eſt: tertiam, quartamque partem ejus HEISTERVS noſter mecum communicavit. Is nunc domo abeſt: alioquin primam ab eo partem peterem,

quo

quo cognoſcerem opes Tuas, quas mihi indicas. Epiſtolarum virorum eruditorum nullus, aut perexiguus apud me apparatus eſt. Habui olim omnes fere epiſtolas, quas Otto SPERLINGIVS, vir eruditiſſimus, ad litteratiſſimos ætatis ſuæ viros dedit: ex his paucæ tantum inter ſchedas meas reſtant: reliquas Hafniam ad Joh. GRAMMIVM, Prof. Gr. L. et Hiſtoricum Regium, miſi, apud quem igne illo furioſo, qui Bibliothecam ejus conſumſit, perierunt. Dolui vehementer hanc jacturam: ſed quid fatis ſuccenſeas? Epiſtolas bene multas et pereruditas, quas is ipſe SPERLINGIVS et Gisb. CVPERVS mutuo per multos annos ad ſe dederant, ante decem fere annos Lugdunum Batavorum ad Sigeb. HAVERCAMPVM miſi, qui ſe curaturum pollicitus erat, ut formis deſcriberentur. Sed quid rei ſit, quod nec ad me redeunt, nec in lucem exeunt, nondum explorare mihi licuit, tametſi multum diligentiæ adhibuerim, ut certi aliquid de illis reſciſcerem. Hugonis GROTII Epiſtolarum ad Joh. FREINSHEMIVM et alios datarum magnum olim Hafniæ volumen mihi oblatum fuit: quod quum apud ſe amicus quidam retinuiſſet, eodem ante annos aliquot incendio, quo SPERLINGII epiſtolæ, dele-

tum fuit. Habeo adhuc Gisb. CVPERI epiſtolas ad M. V. LA CROZE, cum hujus reſponſionibus, in quibus multa ſunt eximia et ſcitu digniſſima: Sed qui eas dono mihi dedit Illuſtris LA CROZE ſe vivo in alias manus theſaurum hunc vetat venire. Vides totum apparatum epiſtolicum, quem habeo, aut potius habui. Si quid ejus generis apud me lateret, tuum illud ſtatim foret: decet enim talem virum cuſtodem et poſſeſſorem eſſe rerum ejusmodi, qui tam liberaliter in publica commoda promit et erogat, quæ infinito ſumtu et labore ſibi conquiſivit. De Caſimiro Leſcynszy, quem Atheum vulgo perhibent eſſe, quæ ad te delata ſunt, forte ad hominem purgandum faciunt et infamia liberandum. Non mediocre igitur beneficium tibi debebo, ſi occaſione ferente Acta iſta mecum ad breve tempus communicaveris. Intereſt enim, meo judicio, generis humani, ut eorum, quos ſceleratorum hominum invidia et malitia oppreſſit, innocentia in lucem proferatur. Vale, ſumme vir, Germaniæ noſtræ immortale decus, meque benevolentia tua complecti perge. Dab. in cœnobio meo ad Saxum S. Mich. d. 6. mens. Junii 1732.

Noli moleſte ferre, Vir Magnifice, quod

quod rogo, ut epiſtolam iniectam ven. Pritio veſtro reddi cures.

CCXXXII.

D. JO. LAVRENTIO MOSHEMIO.

Quas faſciculo nuper ad Te D. MUNDENII noſtri cura miſſo adjungere debuiſſem comites, eas, cum illo tempore ad ſcribendum minime vacaverit, nunc demum (quod vitio ne vertas rogo) ſubmitto. Bene interim redditum illum non modo, ſed ea etiam, quæ complexus eſt, tibi non injucunda fuiſſe ſpero. Quod ſi igitur acta illa, quorum copia a Dño ISELIO facta, ad novam, quam paras, vitæ SERVETI editionem, quamve maximo cum deſiderio exſpecto, illuſtrandam facere poterunt, erit, de quo cum univerſo orbe literario gaudebo. Catalogi mei exemplum ut non modo benivole ſuſcipias, ſed etiam, ſi unum alterumve librum ad ſtudia Tua egregia juvanda forſan utilem vel neceſſarium animadverteris, certiorem me reddas, rogo.

go. Acta Caſimirum Lincynskium concernentia perlecta, vel , ſi tanti tibi videntur, deſcripta data occaſione remittes, cum nullam eorundem copiam retinuerim. Recte ſane judicas , intereſſe generis humani, ut in acta ejusmodi hominum ob fidem ſuſpectam vel opiniones, quas foverunt, ſingulares ad mortem damnatorum probe inquiratur. Omnibus enim, qui vel primis labiis eccleſiaſticam attigerunt hiſtoriam , per infinita exempla conſtat:

Relligio quantum poſſit ſuadere malorum,

et quam multos vel plane innocentes, vel ſaltim non ita malos, aut tam graviter errantes oppreſſerit perverſus pro religione fervor, aut, ut rectius dicam, furor, apud Papicolas inprimis, qui coeco impetu, igneque ac ferro in diſſentientes quosvis ac leviter etiam errantes ferri ſolent. Imprudens ac temerarius in conlegendis ac propalandis dubiis Atheiſticis fuit Lincynskius , illum vero revera Atheum, vel horrendi hujus criminis non modo reum, ſed plane etiam convictum fuiſſe, de eo valde dubito. Poloni pro more ſuo tumultuarie, nec debito juris ordine cum eo egiſſe videntur, vitam hominis hujus miſerrimi non magis curantes, quam pro trito illo dicterio curare dicuntur ſyllabarum quantitates.

tes. Sed de his melius tu ipſe judicabis. Magnam ac plane funeſtam epiſtolarum abs te collectarum jacturam non ſine dolore maximo perſpexi, tuam vero in me voluntatem, quam tam benivolam atque propenſam ſimul teſtatus es, ea, qua par eſt, veneratione grataque mente agnovi. Cuperianarum intertrimentum eo magis doleo, quod, quales ac quanta eruditione refertæ ſint ipſius epiſtolæ, ex nonnullis, quæ in adparatu meo habentur, autographis, plurimarumque apographis, quas Cl. FABRICII Hamburgenſis benignitate, quippe qui integri cum illuſtri iſthoc viro commercii epiſtolici copiam fecit, poſſideo, intellexi. Epiſtolica illa mea ſupellex, favente divina gratia, fere indies, licet hactenus ſenſim ac pedetentim, accreſcit. Aucta ea nuper fuit non modo aliquot Cl. virorum ad Jo. Gottfriedum HERRICHEN, Philologum ac Poetam Græcum, quod anacreontico ſuo de herba *Theè* probavit, incomparabilem, plurimisque ad Jungkenium Phyſicum noſtrum celeb. autographis, ſed conceſſum etiam mihi fuit nuperrime inſigne quoddam volumen, quo eximius ille Theologus Hafnienſis, Jo. BRUNSMANNVS ab eruditis ad ſe datas epiſtolas ac reſponſorias etiam ſuas propria, ut videtur, manu collegit. In

his

his deſcribendis amanuenſis proxime deſudabit. Cum ſingulare gaudium ejusmodi acceſſiones afferre mihi ſoleant, non ægre feres, quod te harum participem reddere voluerim. Quod enim de ſcientia dici ſolet, id de literaria poſſeſſione meliori jure ſtatuendum eſſe exiſtimo, adeo ut noſtrum poſſidere nil ſit, niſi nos poſſidere alii ſciant, et de acquiſitis nobiscum gaudere valeant. Theſauri defoſſi nemini proſunt. Alio certe animo univerſum meum adparatum literarium collegi, quo ſi virorum doctorum ſtudia juvare unquam potui, lubenti ſemper animo id feci, hocque pro virili, quoad vixero, agam, quamvis multi hac mea facilitate maxime fuerint abuſi, ab aliis vero parum gratiæ relatum ſit. Tu, ſi me amas, nullam prætermittes occaſionem, qua experiri poſſis, quam ille ſit paratus animus inprimis erga viros tui ſimiles. Ita vale, ac uti coepiſti me amare perge. Scrib. ipſis Calend. Octobr. MDCCXXXII.

P. S. Quas ad B. PRITIVM noſtrum injeceras, illico reddi curavi, num vero is ante beatum obitum, qui, ut Te non latebit, nuper inſecutus eſt, reſponderit, ignoro. D. MVNDENIVS in locum ipſius ſuffectus, vices Senioris Miniſte-

niſterii jam tenet, utinam feliciter,ac in tantum temporis, quo anteceſſor uſus eſt, ſpatium! Iterum vale.

CCXXXIII.

D. JO. LAVR. MOSHEMIVS.

Diſtuli diutius, quam decuit, reſpondendi ad humaniſſimas litteras Tuas officium. Sed veniam dabis non ſecordiæ meæ, ſed juſtiſſimo dolori ex graviſſimis quibusdam caſibus, maxime ex inopinata cariſſimæ matris et dulciſſimæ conjugis, quæ eodem fere tempore ad meliorem vitam tranſierunt, obitu. Is dolor ita mentem meam, ſatis alioquin tranquillam, et variis calamitatibus a teneris adſuetam, ita dejecit, ut rerum humanarum poene omnium oblitus ſim: nec adhuc, Deo licet obniti nolim et nequeam, me plane collegi. Dies, ſi vixero, ſanabit, ut ſpero, quæ meditatione, natura repugnante, ſanare penitus haud licuit. Quæ ad me miſiſti ab ISELIO ad Te transmiſſa recte accepi, una cum Bibliothecæ Tuæ indice. Illa parum

parum me juvabunt in Hiſtoria SERVETI accuratius explicanda: ſed officium tamen viri humaniſſimi et optimi, qui mei cauſſa vult omnia, agnoſco. De indice Bibliothecæ Tuæ dono mihi humaniſſime dato, gratias ago quas poſſum maximas. Faciam, ut viciſſim ad Te exempla nonnullarum lucubrationum mearum perferantur, in quibus deſcribendis nunc occupantur operæ. Prodibit propediem duplex volumen Diſſertationum mearum: alterum Hiſtoricum: alterum Theologicum. Fieri ita voluerunt aliqui, qui queſtum ſe facturos ſperant ex his opuſculis: meis votis ſi res acta fuiſſet, nemo unquam has levis nomenti ſchedas junctim edendi voluntatem ſuſcepiſſet. Simulatque animum nonnihil compoſuero, Bibliothecam Tuam diligenter evolvam. Non dubito, quin multos in ea libros ſim inventurus meis qualibuscumque ſtudiis utiles, quibus careo, tametſi non omni ſupellectile, præſertim in ſanctiori Hiſtoria, deſtitutus ſim. Quoscumque deſideravero, eos in ſcheda notatos Tibi indicabo, ut, ſi fieri queat, juſto pretio in meam Bibliothecam tranſeant. De auctis et inſigniter amplificatis litterariis opibus Tuis et eruditorum epiſtolis ex animo Tibi gratulor. Faxit Deus, ut voluptate,

quam

quam capis ex hoc theſauro, diutiſſime utaris, nec ingrato quorundam animo, quem merito deteſtaris, a voluntate, quam ſummam in te eſſe, univerſa paene Europa novit, bene de litteris et litteratis merendi abſterrearis. TVAE erunt omnes, quae apud me ſervantur, eruditorum epiſtolae, modo otii nonnihil nactus ero ad latebras muſei mei perquirendas. Puto vero, praeter celeb. LA CROZII ad CUPERUM epiſtolas quasdam, apud me latere Ottonis SPERLINGII, et aliorum. Caſim. Leſczynskii Acta, quorum meminiſti in literis Tuis, non inveni in faſciculo; idque iam Ven. MüNDENIO veſtro, ut Tibi nuntiaret, ſignificavi. Obiectum Tibi haud dubie impedimenti eſt aliquid, ne faceres, quod facere conſtitueras. Non haec eo ſcribo, ac ſi moleſtus Tibi eſſe vellem, et magno flagrarem Acta illa inſpiciendi deſiderio, ſed quo ſcires, ad me nihil illorum perveniſſe. Nihil ego cupio, niſi quod plane Tibi commodum et opportunum ſit. CUDWORTHUS meus paene totus formis deſcriptus eſt, et, niſi magna vis fatorum reſtiterit, ineunte vere inſtantis anni ex tenebris ſuis eluctabitur. Largam addere conſtitueram praefationem, et in ea copioſe de Platonicis quibusdam ſententiis et dogmatibus Nicaenorum antiſtitum diſputare: ſed brevem mavult foemina,

cuius impenſa opus exit. Nec id me repugnante fit: diuturni enim et moleſtiſſimi laboris taedium me dudum cepit. Et carebit facile, ut puto, litteratus orbis meis nugis. B. PRITII, quo per multos annos amico ſum uſus, obitum acerbe tuli. Spero, MüNDENIUM olim noſtrum, nunc veſtrum, vigilantia, labore, humanitate, et modeſtia effecturum eſſe, ne nimis respublica veſtra iacturam, quam fecit, ſentiat. Ego Deum pro ſalute et incolumitate eius, laborumque fructu, deprecari nunquam deſinam. Ita vale, vir ſumme et Magnifice, meque meritorum TVORVM ingenuum admiratorem et aeſtimatorem, benevolentia complecti perge: Ego viciſſim ad mandata quaevis Tua promtiſſimus ero. Dabam in Coenobio meo ad ſaxum S. Michaëlis in radicibus Hercyn. d. VIII. menſ. Decembr. MDCCXXXII.

CCXXXIV.

Io. Laurentio MOSHEMIO.

Iuſtas plane ſilentii ac doloris Tui cauſas non modo probe agnoſco, ſed Tecum etiam quam maxime doleo. Bene enim adhuc memini, quantum moeroris afferat duplex una vice luctus, quod et mihi anno MDCC intra triduum parentem utrumque mors ſaeva abſtulerit. Moeſto

ita-

itaque animo concipio, quantus Tuus fuerit dolor, quod eodem fere tempore et matrem dilectiſſimam et coniugem dulciſſimam amiſeris. Faxit autem Deus T. O. M. a cuius ſolius nutu tum proſpera, tum adverſa fata noſtra pendere optime noſti, ac diuinam paternamque voluntatem eius venerandam eſſe, me etiam tacente, probe intelligis, ut duplicem hanc, licet graviſſimam iacturam aequo patientique animo ferre valeas. Ipſe, cum magni dolores conſolationes humanas vix admittant, ſanet vulnera Tua, ac Te cum univerſa familia ita ſoſpitet atque conſervet, ut, quod ex intimo pectore voveo, ab omni clade immunis quam diutiſſime permaneas. Faſciculum nuper ad Te miſſum bene Tibi redditum fuiſſe gaudeo, male autem me habet, quod acta Leſczynskiana prae nimia feſtinatione eidem non incluſa, ac hæc oſcitantia mea, cum nuperas meas ſubmitterem, non fuerit animadverſa. Habebis vero illa ipſa primâ datâ occaſione. Catalogum meum non ingratum Tibi fuiſſe lubens intellexi. Cum omnia Tua ambabus, ut aiunt, manibus excipere ſoleam, non equidem, quod benivole offers, antidorum recuſo, quamvis tale haud mereri probe agnoſcam. Erit autem, ut ſpero, non modo compenſandi, ſed pro epiſtolis etiam, quas benigne polliceris,

ſatisfaciendi Tibi occaſio, ſi nonnulla e tomis catalogi mei enotare placuerit. Quod ut, quamprimum Tibi commodum fuerit, facias, etiam atque etiam rogo. Nil erit, quod Tibi denegem, ſi modo ſtudia Tua egregia iuvare me poſſe intellexero. CUDWORTHUM Tuum prelum proxime evaſurum magno cum gaudio perſpexi, ac mecum univerſus orbis literarius ſuo tempore laetabitur. Aegre autem fero, quod utiliſſima, ac ut omnia Tua eſſe ſolent, eruditiſſima elegantiſſimaque, quam meditatus es, praefatione, de nobili plane argumento, ornatus atque inſtructus non ſit proditurus. Saepius abominari ſane ſoleo ineptam illam bibliopolarum moroſitatem ac turpem parſimoniam, quae optimos eruditorum virorum conatus non ſine graviſſima reipublicae literariae iactura remorari plerumque, ac irritos plane reddere ſolet. Non curant haec ſordidi iſti homines, ac non niſi commodis ſuis ſtudent, licet, quae e re ſua ſint, minime intelligant ipſi. Condonandum vero videtur foeminae ignarae, quod, quantum ornamenti huic operi, ſibimetipſi vero emolumenti allatura fuiſſet iſthaec praefatio Tua, agnoſcere haud valeat. Plura tum temporis, tum ſpatii ipſius anguſtia iam prohibet. Bene igitur vale, meque in Tuorum numero, utpote cultorum nominis Tui haud poſtremum

habe-

habere perge. Scrib. raptim d. XIII. Ianuarii Anni MDCCXXXIII. quem Tibi Tuiſque omnibus fauſtiſſimum et ab omnibus calamitatibus liberum ex animo precor.

CCXXXV.

Ioh. Laur. MOSHEMIVS.

Diuturni ſilentii mei niſi graviſſimas reddere cauſſas poſſem, dignus certe eſſem, quem ex Tuorum numero exturbares, Vir Excellentiſſime. Sed poſſum: ideoque ſpero, benevolentiae TVAE adverſus me nihil in poſterum detractum iri. Noſti, duplici vulnere ante annum, et quod excurrit, me ſauciatum eſſe: quod quidem ita animo meo inhaeſit, ut ab eo tempore parum aut nihil valetudinis mihi reliquum fuerit. Haec me calamitas cum animi moerore coniuncta ita deiecit atque proſtravit, ut omnium paene officiorum, quae fautoribus et amicis debeo, oblitus fuerim, nec curaverim fere aliquid praeter ea, quae aut munera mea exigunt, aut Dominorum voluntas impoſuit. Condonabis, ſcio, qua es aequitate ac humanitate, huic conditioni meae, afflictae certe, ſi quid à me tacendo peccatum eſt. Videor mihi nunc priſtini vigoris aliquid recipere: ſi eventus opinionem haud fefellerit, equidem curabo, ne

nova naſcatur Tibi tarditatem meam arguendi occaſio. CUDWORTHUM meum exiiſſe iam in lucem, non praetermiſſe te arbitror. Opus certe laborioſum: num utile idem et fructuoſum ſit, nemo Te melius dixerit. Equidem carere hoc labore meo rem litteratam potuiſſe, parum abeſt, quin mihi perſuadeam. Nunc in expoliendis et amplificandis Inſtitutionibus Hiſtoriae Eccleſ. tempus id conſumo, quod mihi vacuum corporis imbecillitas et negotia relinquunt. Plura polliceri vix audeo: rebus enim et conſiliis humanis nihil eſſe incertius, quod antea meditando, legendo, et audiendo cognoveram, ipſo uſu nunc edoctus ſum. De Hiſtoria tamen SERVETI aptius diſponenda, et diligentius enarranda, non omne conſilium abieci. Multa mihi nunc in promtu ſunt, quibus olim carebam, ad miſeri huius hominis res illuſtrandas. Diligenter tamen cavebo, ne ſtomachum Reformatis commoveam, Hiſtoricique fungar munere, non iudicis. Quae promiſi Tibi cum litteraria monumenta, tum epiſtolas virorum eruditorum, ſine controverſia accipies. Dici vix poteſt, quanta res meas et tenuem ſupellectilem librariam confuſio et perturbatio invaſerit, poſtquam adverſam mihi contigit valetudinem habere. Itaque non poſſum ex ſchedis plane disiectis ſeligere, quae ex uſu

uſu Tuo ſunt, maxime *quum* diſceſſerit is non ita pridem, cuius auxilio in ordinanda bibliotheca, et impedimentis literariis, uſus ſum. Non fallam tamen ſpem Tuam. Ex indice bibliothecae Tuae mihi quosdam excerpſi librorum titulos: ſed nullo labore ſchedam mihi hodie inveſtigare licet, cui eos mandavi. Differendum igitur et hoc eſt, dum reliqua perferantur ad Te, quae paullo ante indicavi. Hic ſermones omnium de nova Academia Göttingae condenda fervent. Sed tarde procedit negotium. Nobis num nova haec ſchola detrimenti aliquid allatura ſit, dies docebit. TREUERUS noſter in colligendo antiquitatum Teutonicarum Theſauro totus eſt, novamque eius his diebus deſignationem edidit. Sed faciles grandia eiusmodi opera negotiatores librarios non habere ſolent. Vale, Vir ſumme, meque inter eos, qui Te ſumma nunquam deſinent obſervantia colere, numerare perge. Dab. in Acad. Iulia d. XXX. Septembr. MDCCXXXIII.

MAG 2006681

VITTORIO EMANUELE
BIBLIOTECA ROMA

Digitized by Google